



**Jacobi Brocardi libri duo: alter ad Christianos de prophetia,  
quæ nunc compleatur in his, quæ sunt secundi adventus  
Domini, alter ad Hebræos de primo, & secundo eiusdem  
adventu.**

<https://hdl.handle.net/1874/422203>

IACOBI

5  
BROCARDI

LIBRI DVO: ALTER

AD CHRISTIANOS DE PRO-

PHETIA, QVÆ NVNC COM-

pleatur in his, quæ sunt secundi adven-

tus Domini: alter ad Hebræos

de primo, & secundo eius-

dem adventu.

Luc. 18.

*Filius hominis cum venerit, num inueniet  
fidem in terra?*

2. Pet. 3.

*Venient postremis diebus illusores, qui dicent. ubi est  
pollicitatio aduentus eius? omnia enim ex quo patres dor-*

*mierunt, sic perseverant ab initio creationis.*



SCRVTA

MINI.

LUGDVNI BATAVORVM,

Ex Officina Caroli Silvij, Ordinum Hol-

landiæ Typographj, Anno

M. D. LXXXI.

## Sophon. 2.

1. *Scrutamina vos ipsos: & scrutamina (que oportet) gens minime desiderabilis.*
2. *Prusquam decretum pariat quasi pulverem transeuntem diem: antequam veniat super vos estus furoris Domini: antequam veniat (inquam) super vos dies indignationis Domini.*
3. *Quarite Dominum omnes mansueti terra, qui iudicium eius operati estis: querite iustitiam: querite humilitatem, si quo modo abscondamini in die indignationis Domini.*

Isa. 45.

*Deus iustus, & saluans, non est preter me.  
Respicite ad me omnes fines terre; & salui eritis.  
Ego sum Deus, & non est ultra Deus.*

## Ezech. 12.

*In diebus vestris loquar verbum, & faciam illud dicit Dominus Deus.*

IN VENTURA BATAVORVM

JOHANNIS CROCI SHALV. ORIGINUM HOL-

LANDIC Typographi. Anno

M. D. C. LXXI.

AMPLISS. HOLLANDIAE  
ORDINIBVS, OMNIBVSQVE

Iesum Christum amantibus, & eius ad-  
uentum exoptantibus.

JACOBVS BROCARDVS

S. D.

**D**olebam, & uehementer angebar tem-  
pore perturbationum Gallicarum ob of-  
fensiones bellicas, quae excipiebantur;  
& ob cursum praedicationis Euangeli-  
ce, qui ob dissidia certorum hominum  
literatorum impediabatur, & ob multa alia. verum nil  
magis me praemeabat, quam quod viderem non cognosci ex  
verbo Dei tempora, in quae deuenimus: non aduertii Chri-  
stum nunc nobis loqui in Prophetis: & quae hoc tempore  
sunt esse in illis narrata, praescripta omnia, quae agere, quae  
cauere, ac fugere debemus his difficillimis temporibus. unde  
dum non sunt illa: sunt autem saepe contraria, varie af-  
figimur, ac plectimur. multa autem erant, quae tum me  
impediabant, ne his de rebus scripta aliqua ederem: atque  
eram totus occupatus in notandis euentibus eorum, quae nunc  
sunt descripta in Prophetis; & in contemplandis myste-  
rijs, quae se patefaciebant in apertione Prophetarum: atque  
ex his nihil erat adhuc perfectum, quod cum alijs commu-  
nicare possem. interea autem quos potui verbis monui, ut  
attenderent in Prophetis, quanam nunc agat Christus,  
quanam nunc loquatur omnibus: atque quod iubetur  
minimus e populo facere, bucina canere, si videat malum  
imminere populo, id voce feci, ut Deus dedit. Verum post-  
quam vidi horrendam trucidationem Gallicanam, &

Deum nuntiare in Isaia cap. 5. vers. 25. vbi de illa loquitur manum suam adhuc esse extensam. & cap. 65. se numeraturum nos in gladio, quod vocarit nos, nec responderimus: locutus sit, nec aures adhibuerimus, malumque fecerimus in eius oculis, & quae noluit, elegerimus. item in Ieremia cap. 44. post eadem illam virorum, mulierum, & infantium minatur adhuc Deus gladium, & famem reliquis se non audientibus; facere non potui quin aliquid scriberem, in quo saltem viderem, quenam essent haec nostra tempora, quenam omnibus deberent esse proposita, vbinam quisque doceri possit, & debeat, dum in tot terram tenebris, & procellis publici status versamur, ac iactamur. scripsi autem librum, in quo probavi Prophetiam magna ex parte nunc compleri: atque in ipsa, vbi in Euangelio Christum solum esse audiendum dictum ibi Sanctum Israelis. Liber adhuc non perfectus peruenit in manus eorum, ad quos volebam, & ad quos pertinebat illum vidisse. ac ita factum est, vt nihil in eo sit inuentum, quod potuerit reprehendi ab his, qui id maxime quaerebant. Verumtamen quid de libro factum sit, nescio: non ultra est inuentus: nec ego vllum aliud habebam exemplar. Quoniam vero liber is parabatur, vt etiam futurus esset aditus, seu quaedam Isagoge ad totam Prophetiam: & adhuc fuit prouerbum illud in Israele. prolongabuntur dies, peribit omnis visio: quiaque oportet prius hominem esse certum, Prophetiam adhuc non esse completam, & plurima perfici his temporibus, si adduci debeat, vt cognoscat quae nunc sunt, fuisse in Prophetis enarrata, & exposita: statui alium scribere, & copiosorem. quod & feci: vt desinant multi dicere illud, quod dixi, Ezechielis item illud Ieremie. Prophetia Domini non memoretur ultra. Prophetia Domini sit cuiusque verbum suum: vt paratur

PRAEFATIO.

Via his, qui audire audent filium Dei, Sanctum Israël loquentem in Prophetis, in quibus patebit, necesse esse audire nunc Christum; ut sciant omnes quid agendum, & cauendum sit in tota vita, dum iudicium est vehemens in domum Domini, & in peccatores: videantur peccata & errata propter quae caedes non cessant inter nos, atque manus Domini sit adhuc extensa: ut aduertant duces populi Dei, quomodo bella gerenda sint. & quod maximum est, ut ministri verbi videant in tota Prophetia, quomodo consulere communibus rebus possint; quid proponere debeant omnibus, & singulis in populo Dei, qua spe sustentare deiectos animo: parati ipsi sint ut in conciliis futuris dicant sententias de quaque re, ac statuere valeant secundum verbum Dei descriptum in lege, Euangelio, & Prophetis: constituere Ecclesiam & regnum Dei secundum eius solius prescriptum, & iussum. maxime verò cum agnus in his, quae loquitur nunc, agit, & perficit descripta in Prophetis, paulatim, soluat signacula libri clausi. Librum autem, quem refeceram, in quo ostendebatur, nunc à nobis esse audiendos Prophetas, non fuit hactenus facultas typis mandandi, & edendi; copiam autem feci illum legendi, & describendi omnibus, qui voluerunt, interea persciti in consiciendis aliis libris, in quibus euenta Prophetia, & mystica de aeterno Euangelio essent notata quantum, & quatenus haec se nobis aperirent. factum verò est cum ingressi sumus in annum 1580. ut coactus sim edere commentarios in Apocalypsim, & in Leuiticum, & quaedam alia, & quoniam instat tempus, ut alia edantur: atque oportuit prius edidisse librum, qui esset aditus in lectionem Prophetiam, nec fuit editus: nunc ille datur, ut satisfiat his, qui ordine res sibi demonstrari petunt: prius agatur, an res sit, deinde quid sit, probem ante, quae sunt hoc tem-

P R A E F A T I O .

pore esse narrata in Prophetis, post exponam in Prophe-  
 tia, quomodo intelligi illa debeant à nobis de nobis esse  
 narrata. Vt verè ostendatur, quæ sunt hoc tempore esse  
 narrata in Prophetis, quatuor sumemus probanda: Pro-  
 phetiam non fuisse completam in primo aduentu Domini:  
 Prophetiam complecti omnia tempora: in omnibus sacris  
 libri inesse Prophetiam, quæ non sit completa: eam au-  
 tem compleri his temporibus, quæ in sacris libris sua certa  
 ratione appellantur postrema, & dies nouissimi. & in hac  
 postrema parte simul ostendetur distinctio triplicis aduen-  
 tus Domini, & quomodo dies postremus sit intelligendus,  
 in quo nouus status futurus sit mundi, & finis afflictionum  
 allata pace perpetua: quòdque aduentus Domini secun-  
 dus citius fuerit futurus, quàm putarint homines. qui  
 aduentus ostendetur nunc adesse ex signis datis de eo, &  
 ex operibus scriptis in Prophetis efficiendus in secundo ad-  
 uentu. De his in hoc libro agemus, vt etiam præter cæ-  
 tera responsum illis sit, qui aiunt Prophetiam cessasse in  
 primo aduentu Domini: & instant, omnia ita perseuera-  
 tura vsque dum in momento, in ictu oculi, in nouissi-  
 ma tuba mortui resurgent. his autem, quæ obijciuntur  
 pertinentia ad interpretationem, & aiunt quidam nos  
 sequi allegorias, quæ sint periculose in interpretando,  
 respondebimus tunc, cum dabimus interpretationes in  
 sacra Biblia. nunc ad illa, quæ proposuimus probanda  
 accedemus. Quæ quidem viri amplissimi cum ad om-  
 nes pertineat illa nouisse, tum vobis in primis nota esse  
 debent, qui inter primos fuistis, qui certamen sustinue-  
 runt contra tyrannidem Antichristicam: nec vnquam  
 eidem deinde vos dedidistis: non claudicastis in duas par-  
 tes, vt ait Elias: non fuistis auis bis tincta, vt ait Ie-  
 remias: non iurastis in Dominum, & simul in Mel-  
 chum

ebum, ut Sophonias. nam in hoc libro aperitur aliquo modo aditus in Prophetas: in quibus recognoscatis & que passi estis, & que premia estis à Deo suscepturi: gaudeatisque ut qui inter primos exagitatos à vi Antichristica fuistis afflicti, primi consolationem à Domino sitis percepturi.



PRO-



IACOB. BROET  
PROPHETIA PROBATUR  
NON COMPLETA IN PRIMO  
aduentu Domini.



VI dicunt Prophetiam completam in primo aduentu Domini, quòd is dixerit. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt, hi nihil probant. quia indicat Christus in Ioanne Baptista incipi præstari quæ scripta sunt in lege & Prophetis, de duplici suo aduentu. nam & ipse Ioannes Baptista fuit Propheta, vt affirmat Christus; atque sua prædicatio continet Prophetiam de secundo aduentu Domini, vt interpretatio Prophetica docebit. & ipse Christus Iesus fuit Propheta, & eius Euangelium est quoque Prophetia. vt etiam Ecclesiasticus ante monuit capit. 24. Nec illud Christi. consumatum est. probat omnem Prophetiam completam tunc. quia quòd non fuerint contracta eius ossa; fuerit sepultus; descenderit ad inferos, surrexerit è mortuis; dederit legationem Apostolis ad Israël, & ad gentes; ascenderit in cælum; miserit Spiritum Sanctum: hæc nondum consumata fuerant. quod confirmat ipse in fine Euangelij Lucæ. vbi ait debuisse hæc compleri scripta in Mose, Prophetis & Psalmis. fuerat quidem tunc consumatum, & perfectum illud sacrificium, quo placatum habent omnes omnium temporum credentes patrem; habent expiationem peccatorum

torum, atque omnia dona, quæ obtinuerunt, & obtinebunt à patre in terris; & in caelis. deinde confirmat Christus Prophetas locutos de suo secundo aduentu cap. 24. Matth. & 13. Marci. qui ait. cum videritis abominationem dictam à Daniele existentem in loco sancto. Et cap. 21. Lucae cum narrauit multa de suo secundo aduentu, addidit. dies ultionis hi sunt, vt compleantur omnia, quæ scripta sunt. Itaque omnia signa, quæ nuntiat Christus futura sui aduentus, sunt sumpta à Prophetis. vt suo loco ostendemus. & Petrus Actor. 3. docet omnes Prophetas descripsisse secundum aduentum Domini; vbi ait. Interea oportet Christum caelo capi vique ad tempora restitutionis omnium, quæ Deus locutus est per os omnium sanctorum suorum Prophetarum ab initio. in Epistola autem secunda monet nos, vt memores simus verborum quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis de irrisoribus venturis. & Iudas futuros nunciat, qui negent gratiam Christi: futuros pariter irrisores, qui olim descripti fuerint, à Prophetis, scilicet. similiter Paulus nuntiat futura postremis temporibus, sumpta illa quidem à Prophetis. vt ex cap. 11. Isaiaë quæ scripsit in Epist. 2. ad Thessal. cap. 2. de Antichristo. Nec illud dicendum est, post Christum non fuisse Prophetas, quod dictum sit in Zach. cap. 13. & erit cum prophetauerit quispiam ultra, dicet ei pater eius, non viues. quoniam primum ibi est sermo de falsis Prophetis. vnde dicitur, & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam è terra. & ante dictum

dictum est. Succidam nomina simulachrorū & terra. vbi apparet sermonē esse de falsis Prophetis, & de postremis tēporibus. Et si dicas tu, ibi esse sermonē quoq; de primo aduentu. vbi dicitur. percutite pastore, & dispergētur oves: affirmabo ego & idē esse dictū de secundo, quia sequitur Prophetā de ouibus: erit enim in rota terra dicit Dominus, vt partes duæ in eā succidantur, ac deficiant, tertia autem relinquatur in ea. Quod verò viguerit in Ecclesia Prophetia, & Prophete, id cōstat, nā & Apostoli fuerunt Prophetæ, & Prophetarunt. vt Christus pollicitus illis fuerat Ioan. 16. vbi ait de spiritu S. & quæ futura sunt, annūtiabit nobis. fuerūt & plurimi Prophetæ tēpore Apostolorū, vt Acta Apostolorum docent. dedit Deus & post Christū Prophetiā in Apocalypsi. Et post Apostolos fuerūt Prophetæ, & tota ætate sexta vsq; ad Lutherum fuerūt Prophetæ & Prophetia, vt infra ostendemus. Est præter ceteros Teleosphori liber, in quo multi memorantur nuntiatores secūdi aduentus Domini. atq; ibi multa multorū collecta sunt, ac propè omnia, quæ hoc tēpore fiunt, nō solū literis narrata; sed & picturis cōcipiuntur expressa. Quod item debuerit esse Prophetia in Ecclesia ostēdit Paulus. vbi recēset dona spiritus S. in Ecclesia: munera, & ministeria, quibus illa administratur. Deū cōstituisse in Ecclesia primū Apostolos, deinde Prophetas, tertio doctores, deinde potestates, &c. aduerte secundo loco positos Prophetas vt in Ecclesia Apostolica intelligas debere esse Prophetas, qui etiā memorantur

1. Corin. 12.  
 & 13.

rantur in eadē Ecclesia distincti ab Apostolis,  
 quāuis & Apostoli fuerint Prophetę. vt legimus  
 in A. C. c. 20. per singulas ciuitates testatur Spi-  
 ritus sanctus, hoc est Prophetę quę sunt in sin-  
 gulis ciuitatibus testantur, quōd vincula, & af-  
 flictiones manent Paulam cap. 13. Prophetę, &  
 doctores dicuntur Antiochię ministrare Domi-  
 no. ergo apparet inter ministros Ecclesię fuis-  
 se post Apostolos Prophetas. vnde cap. 15. Iudas  
 & Sila dicuntur, cū essent & ipsi Prophetę,  
 multo sermone adhortati fratres, & confirma-  
 uisse. Pręter ministerium autē memoratu Pro-  
 pheta Agabus prędixisse famem, prędixisse vin-  
 cula Paulo. memorantur & quatuor virgines  
 Prophetantes: memorantur Discipuli c. 19. Act.  
 Accepto spiritu S. per impositionē manuum lo-  
 cuti linguis, & prophetauisse. Si iā post Aposto-  
 los cōstituit Deus in Ecclesia ministerium Pro-  
 phetarū vt tempore legis post sacerdotes dedit  
 Prophetas, & tempore Apostolorū illud in eadē  
 permansit: etiam cum restituetur Ecclesia Apo-  
 stolica, cum restituetur regnū Israeliticū, & alia,  
 debet & Prophetia restitui. Vnde videmus  
 hoc tēpore post restitutū iuge sacrificiū doctri-  
 nam Euangelicā, & Apostolicā, dum paratur re-  
 stitutio regni Israelitici, aperiri quoq; Prophe-  
 tiam. nam ait Petrus Act. 3. Christū in secundo  
 aduentu restitutum omnia. ergo & prophetia  
 restituetur, hinc multi in Italia, Gallia, & Ger-  
 mania extant, qui tractāt prophetica, & in Pro-  
 phetis antiquis vidēt, quę hoc tēpore fiūt. quos  
 fitu nō prophetas, sed interpretes Prophetarum  
 appellabis

appellabis, ego quidē vehementer assentiar. nā  
 quē propriē videar posse appellare Prophetam,  
 nec aliquē adhuc vidi, nec me esse profiteor. in  
 doctrina quidē Prophetica vt nō pauci, versor;  
 quæ debet nunc maximē vigere, quādo Pro-  
 phetia cōpletur, quādo incipit aperiri, quando  
 viginti quatuor seniores, hoc est ministri prædi-  
 ti doctrina Euāgelica, & Prophetica sessuri sint  
 super viginti quatuor sedes dantes gloriā Chri-  
 sto Domino suo. In aperta Prophetia causa, &  
 ratio apparebit, quare semper in Ecclesia debuc-  
 rit esse sacerdos, & Propheta. Præter hæc testi-  
 monia possumus & rationibus multis, quod di-  
 cimus, ostendere. & breuitatis gratia vnā, aut  
 alteram afferamus. Christus aut fuit Propheta,  
 aut non fuit Propheta. si non fuit, ergo aliquid  
 maius fuit in Prophetis, quā in Christo. hoc  
 dici non potest, quia maior fuit Christus quā  
 Salomon, quā Iona, quā quiuis alius. Ergo  
 fuit Propheta Christus. nec verò solum, quod  
 plebs dixerit. Propheta magnus surrexit in no-  
 bis: sed quia dixit Deus de Christo, Deut. 18.  
 Prophetam suscitabo illis de medio fratrum suo-  
 rum. Si iam Christus debuit esse Propheta, de-  
 buit nuntiare post se futura. non ergo debuit in  
 eius aduentu cessasse Prophetia. quod & patet  
 eo in loco Deuteronomij. vbi Antichristus ven-  
 turus post Christum nunciatur. vt verò distin-  
 guamus Christum à Papa Antichristo, præter al-  
 lia dicuntur, quæ nunciabit Christus euentura,  
 non autē quæ nunciabit Papa. vnde patet Pro-  
 phetiam Messiaē produci vsque ad tempora An-  
 tichristi.

Christi: & Christum nunciare quæ sunt sui se-  
 cundi aduentus. Nec verò solum dicendum  
 est Christū assumpsisse quædam loca antiquo-  
 rum Prophetarum de suo secundo aduētū. quia  
 ita non videretur maior Prophetis prioribus:  
 sed doctrinam eius vniversam continere Mo-  
 sem & Prophetiam. quod cap. 24. Eccle. con-  
 firmat ipsa sapientia, inquiring. Doctrinam ad-  
 huc, vt Prophetiam effundam, eamque ad om-  
 nes seculorum ætates transmittam. Item si do-  
 ctrina Apostolica est ea authoritate, qua Evan-  
 gelium, ac aliæ diuinæ scripturæ, etiam do-  
 ctrina Apostolorum effunditur tanquam Pro-  
 phetia, non solum quæ hi nuntiant de certis re-  
 bus futuris. Et si doctrina Christi, & Apostolo-  
 rum est tanquã Prophetia, erit & doctrina Mo-  
 sis. quod probatur, quia est verbum Dei, & ver-  
 bum Dei manet in æternum. vnde dicitur in  
 Leuit. cap. 3. Statum perpetuum in generatio-  
 nibus vestris, omnē adipem, & omnem sangui-  
 nem non comederis. nam quod in adipe & san-  
 guine signabatur, perpetuò est obseruandum.  
 item alia omnia, quæ à Christo, & ab Apostolis  
 reuocata sunt ad veritatem eductam ex vmbri-  
 Si iam & omnis doctrina verbi Dei effunditur,  
 vt Prophetia, & transmittitur ad omnes seculo-  
 rum ætates, ergo & propter euenta rerum varia,  
 & propter doctrinam verbi Dei non dicetur  
 Prophetia completa in primo aduentu Domi-  
 ni. Quòd verò doctrina ita transmittatur ad  
 omnes ætates, inde patet, quia doctrina Mo-  
 sis deferebatur ad Christum, & ad Apostolos, qui  
 veritatem

veritatem ex vmbra educerent. Et quia adhuc  
 omnes vmbrae nō sunt perductae in lucem, ergo  
 aliqua restant transmittenda ad secundum ad-  
 ventum Domini. quando in lucem deducentur  
 omnia, quae fuerunt vmbra futurorū. In Euan-  
 gelio quoque multa sunt, siue etiam omnia,  
 quae transmittenda sint ad secundum aduentum  
 Domini. quae cū aduenteret Petrus, rogat Chri-  
 stum, Luc. 12. vtrum ad Apostolos, an ad om-  
 nes loquatur. Apostoli loquētes hominibus sui  
 temporis, loquuntur nobis. vt Iudas eos adhor-  
 tans, vt persistant in fide exponit futura: Ioan-  
 nes in prima Epistola, prima, media, & postre-  
 ma complectitur: Petrus reuocat eosdem ad  
 tempora postrema ad quae doctrinam perdu-  
 cit cum euentis. in Paulo cū idem in cer-  
 tis locis pateat, vt in Epistolis ad Thessal. fiet  
 suo tempore apertum in tota doctrina, quando  
 aperietur prophetia, & conspicietur, ac sentie-  
 tur armonia, quae extat in omnibus diuinis  
 scripturis: nec erit discordantia in interpreti-  
 bus cū didicerint cum Dauide canere ad Na-  
 blum, ad Citharam, ad Decacordum. ob quam  
 rem dixit Ecclesiasticus. Noli prohibere Mu-  
 sicam. & Paulus, nolite prohibere prophetiam.  
 quod idem est. hinc interpretes diuinarum scri-  
 pturarum. vocati sunt Prophetæ. quod hi no-  
 rint armoniam, & concentum scripturarum, &  
 qua armonia veram harum educant interpre-  
 tationem. Et si hæc minus nunc probantur ali-  
 quibus; vera tamen apparebunt suo tempore,  
 quando septem lucernæ magni candelabri lu-  
 cebunt

cebunt omnibus: siue quando filius hominis  
conspicietur ab omnibus ambulare inter sep-  
tem candelabra aurea: septem signacula libri  
fuerint soluta: quæ breui futura sunt. multæ  
aliæ rationes adduci possent sumptæ ex ipsa  
prophetia; sed quia cum ignorantibus princi-  
pia non possumus disputare, quod non mul-  
tum differant ab his, qui illa negant, superse-  
debimus nunc longiori disputatione.

Videant iam quid agant, qui contra præce-  
ptum Pauli, qui ait, prophetiam nolite prohi-  
bere, respuunt, & vetant prophetiam post Chri-  
stum. quia eam cessasse volunt, abbreviantes  
brachium Domini: qui visiones cessasse vo-  
lunt, iniuriosi in Spiritum sanctum: qui pro-  
phetiam negantes nunc compleri, negant Do-  
minum, vt negarunt Iudæi: & alia peccant,  
quæ memorantur in Prophetis, vt post vide-  
bimus.

## DE PROPHETIA, QUAE COMPLECTATUR OMNIA

*tempora.*

**O**stendamus autem nunc Prophetiam cõ-  
plecti omnia tempora, & perduci vsque  
ad ætatem postremam. nam id erat secundum  
ex his, quæ proposuimus probanda. Quoniam  
de filio Dei hæresim Arrianam innouarunt mul-  
ti, quæ dicturi sumus de Prophetia complectẽ-  
te omnia tempora, de verbo Prophetico; in filio  
Dei ostendemus denuntiationem futurorũ per  
eius Spiritũ sanctum à se, & à patre manantem.

Ac



Ac primum quidem ante mundum conditura  
 filius Dei fuit æternus cum patre. tunc in filio  
 prædestinati fuerunt omnes electi: tunc præde-  
 stinatum fuit quicquid debuit creari, & effici in  
 mundo, & ipse mundus ab initio ad finem vsq;.  
 Vnde 4. Esdr. 6. ait filius Dei, antequam mun-  
 dus, & quidquam in mundo, & angeli creati  
 essent: tunc cogitavi, & facta sunt per me so-  
 lum, & non per alium. hinc in Isaia, & in Apo-  
 calypsi clamat. ego primus & nouissimus. me-  
 morat autem ibi Dei filius se principium, & fi-  
 nem omnium rerum creatarum; & qui nuntiat  
 tempora, distinctiones temporum & fines tem-  
 porum, & quænam facturus sit futuris tempo-  
 ribus, atque hæc exponuntur ca. eodem. 6. & 9.  
 eiusdem libri Esdræ, & nuntiatur futurum temp-  
 pus, quando altissimus visitabit seculum, quod  
 ab eo factum est; cum erit in seculo commotio  
 locorum, & populorum perturbatio. quam qui-  
 dem nos nunc videmus: vt intelligamus altissi-  
 mum de his rebus, & de temporibus hisce no-  
 stris postremis locutum à diebus, quæ fuerunt  
 ante Esdræ, atque ad eò à principio. Quem-  
 modum enim omne, quod factum est in seculo,  
 initium pariter habet, & consumationem, atq;  
 consumatio est manifesta: sic & altissimi tem-  
 pora initia habent manifesta in prodigijs, &  
 virtutibus; atque consumatio in actu extat, &  
 in signis. vt enim quæ facta sunt in mundo ab  
 initio ad finem vsque fient manifesta: ita pate-  
 bunt tempora, hoc est verbum Dei, quo expo-  
 nuntur omnia; quæ egit Deus in Ecclesia om-  
 nium

nium temporum, fiet manifestum, denunciasse  
 omnia. ut dicatur. quemadmodum verbum Dei,  
 quo descripta est fabrica mundi, & quicquid  
 egit Deus iam à primo homine, & deinceps in  
 suo populo, & in constituendo statu eiusdem,  
 atque regno Israëlitarum data lege, & Prophe-  
 tis fuit confirmatum verum verbum Dei pro-  
 digijs, & signis multis memoratis in libris hi-  
 storicis, & propheticis; in Evangelicis & Apo-  
 stolicis: similiter quod idem verbum nuncia-  
 uerit futura, postrema, confirmabitur promissis  
 præstitis, & rebus denuntiatis: item prodigijs, &  
 signis magnis, quæ nunc à nobis cæpta sunt vi-  
 deri. Quod verò Moses nunciauerit futura, do-  
 cemur quoque in eodem quarto libro Esdræ c.  
 14. quod Deus narrauerit illi mirabilia multa,  
 aperuerit secreta temporum, & finem. atque  
 interpretatio docebit Moses complexum fuisse  
 historiam seu prophetiam omnium temporum.  
 cuius rationem nuntiandi futura secuti sint om-  
 nes Prophetæ. Idem autem filius Dei, qui in  
 Prouerbijs Salomonis, & in Ecclesiastico vo-  
 cat se sapientiam, cum exposuit se ex ore altissi-  
 mi prodijisse, esse primogenitum ante omnem  
 creaturam, per se facta omnia: ait se quoque  
 nunciasse omnia, prædicasse suum æternum E-  
 uangelium, inquit in Ecclesiastico cap. 24.  
 Doctrinam etiã ut Prophetiam effundo, eamq;  
 ad omnes seculorum ætates transmittam. cap.  
 42. docemur item, Deum videre omnia ubique  
 omnium temporum, & ima abyssi, & intima  
 cotiduum: simul & præterita nuntiare & futura.

cap. 48. vt Moses, ita Prophetæ dicuntur præ-  
 uidisse nouissima tempora, atque Isaias primus  
 dicitur vers. 27. & 28. ingenti spiritu nouissima  
 præuidisse. in æuam vsque prædixisse futura, ar-  
 canaque facta priusquam euenirent. Et ne quis  
 dicat authores Esdram, & Ecclesiasticum Apo-  
 cryphos, quos aperta prophetia faciet non Apo-  
 cryphos; accedamus ad Isaiam, & alios. Quòd  
 locutus sit Isaias de postremis temporibus, con-  
 firmavit Ecclesiasticus, atque asserit ipse Isaias,  
 qui proponit cap. 2. se ostensurum ventura po-  
 stremis temporibus, & simul expositurum iudi-  
 cium Domini. monet & Ioannes cap. 12. sui E-  
 uangelij. qui ait Isaiam locutum, quando vidit  
 gloriam Domini, in secundo scilicet aduentu,  
 docet Petrus, qui cap. 3. Acto. ait Prophetas lo-  
 cutos iam ab initio de ijs, quæ sunt secundi ad-  
 uentus Domini, & de postremis temporibus.  
 Quamobrem videamus quid nos doceat Isaias  
 de Prophetia, quæ omnia tempora complectat-  
 ur. cap. 41. exponitur contentio Papistarum, &  
 Euangelicorum. quòd Papistæ, & Papistarum  
 imitatores nolint suscipere verbum propheticum;  
 cognoscere Christum iam parare suum regnum:  
 atque ipsum solum audiendum loquentem in  
 omni prophetia, quæ est in lege, Euangelio, &  
 Prophetis: qui constituturus sit Ecclesiam, &  
 regnum Israëliticum. cuius vox solius iam, &  
 deinceps audienda sit in prophetia totius diui-  
 næ scripturæ apertæ. Et cum non suscipiunt illi  
 verbum Propheticum in omni diuina scriptu-  
 ra, suum verbum constituunt, & dicunt. quod  
 refert

refert Ieremias cap. 23. Prophetia Domini non memoretur ultra. Prophetia Domini sit verbum cuiusque suum. quod refert Ezechiel. c. 9. dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt. item cap. 11. Elongate vos à Domino. data est nobis terra in possessionem. Itaque interea nolunt secundum verbum Dei descriptum in Prophetis constitui Ecclesiam, & regnum Christi: sed secundum suum verbum administrari omnia. Vnde conqueritur Christus cap. 24. Matthæi, quod multi faciant se Christos, faciant se eum, qui locutus sit verbum in Prophetia sanctus Israël. quod faciant se Deos, extollant se, & sua signa in populo Dei, & regno Christi. Disputat igitur Christus contra illos, se quidem, non autem ipsos esse Deum. narrat se vocasse primum hominem, & Abrahamum: vocasse populum Israëliticum ex Ægypto: egisse omnia in Ecclesia omnium temporum. quod nullus Papa, & Papæus, nec imitator Papæ fecit. ac vt fecit omnia omnium temporum in Ecclesia is, qui non moritur; & viuit in generationem, & generationem; vt in Psalmis sæpe inculcatur: ita nuntiauit omnia futura. nam tribus rebus potissimum ostendit Deus se solum Deum, quod solus creauerit omnia. hinc dictum est in Ieremia. Qui non fecerunt cælum, & terram, non sunt Dij. quod solus omnibus temporibus administrauerit mundum, & egerit omnia in mundo. id, quod non possunt facere mortales. hinc de Ecclesia sua omnium temporum dixit in

Isaia cap. 46. audite qui portamini à me ab  
 utero, & gestamini à vulua, & vsque ad sene-  
 ctam ego sum vobiscum, & vsque ad canitiem  
 ego portabo. ego feci, & ego feram. ego quo-  
 que portabo, & eriam. quòd solus omnia nun-  
 tiarit futura ab initio. hinc eodem capite 46. ait  
 Dei filius. recordamini priorum, quæ à seculo  
 fuerunt, quoniam ego sum Deus, neque est ul-  
 tra Deus, neque est sicut ego nuncians ab ex-  
 ordio nouissimum, & ab initio ea, quæ nundū  
 facta sunt. Hac enim in re adductæ sunt gentes,  
 vt Deum esse crederent, quòd factura nuntiaretur.  
 sibi persuadentes nullum mortalium hoc  
 posse facere. ac ni Deus sit, qui id in homine ef-  
 ficat nunquā effici. vnde ex diuinatione, quam  
 vocant, voluerunt multi probari esse Deū, quòd  
 illa esset. Sed relinquamus gentes, quemadmo-  
 dum fuit sollicitus Christus Iesus, vt discipuli  
 attenderent quæ illis nuntiabat futura: vt inde  
 crederent se esse filium Dei: similiter hinc in I-  
 saia sæpe repetit idem nobis, se nuntiasse om-  
 nia ab initio, vt sibi credamus. & si id proprium  
 est Dei nuntiare futura, videtur nō solum con-  
 sentaneum; sed & necessarium, vt quod Deus  
 agit perfectè & absolute agat: non solum que-  
 dam, & quibusdam temporibus; sed omnia,  
 & semper. vt ab initio nuntiarit omnia; vt sin-  
 gulis ætatibus repetiuerit, præterita ostendens  
 præsentia denuntiata, nuntians iterum, & sæpe,  
 & per plures futura, atq; ad eò postrema. præser-  
 tim verò cum Deus ibi sibi proprium id asserat,  
 quòd solus nuntiet futura. id quod videmus  
 esse

esse factum, atque factum probat Isaias. & patebit omnibus hominibus in aperta prophetia. Quia verò hinc maxime Deus se patefacit unū, & solum verum Deum; voluit vt id nos testemur: atque promissis præstitis fateremur se effecisse, quæ nuntiauit. vt se solum verum Deum haberemus, & prædicaremus. Vnde Iosue cum obtinuit regiones promissas populo Israelitico, & ante Abrahamo, monuit populum, vt id attenderet, & cognosceret. atque addidit. ne vnum quidē verbum, quod illis se præstiturum promississet, irritū fuisse: sed rebus expleta fuisse omnia. Idem egit Salomon post ædificatum templum, ostendit Deum præstitisse, quæ promississet patri Dauidi, & quæ in Mose. Israelitæ captiui Babyloniorum, confirmarunt Deū effecisse, quæ per Ieremiam denuntiarat, quæque prædicta fuerant & à Iosue. Christus Iesus dicebat legem, & Prophetas vsque ad Ioannem Baptistam prophetauisse: præstari iam suo aduētu promissa. Petrus Act. 3. ostendebat vt alij Apostoli in Christo passo præstita, quæ de eius primo aduentu scripta fuissent. præstanda reliqua in secundo. Christus duobus discipulis percurrebat totū Mosem, & Prophetas, qui de se locuti fuerant. quæ narratio quia non est prodita literis propter eas causas, quas interpretatio Prophetica afferet, erit in secundo aduentu exponenda toti Ecclesiæ. Quare si constat, vt omnino constat, Prophetas loqui de postremis temporibus, & de secundo aduētu Domini: necesse erit nos aduertere quæ nuntiata sunt, & quænam ex his

præstita: vt confiteamur verbum Dei verum:  
 Deum ipsum verum habeamus Deum nostrum:  
 & non alium. atque simul relinquamus poste-  
 ris historiam rerum omnium, quæ vidimus. vt  
 cognoscant & ipsi illa præstita, & perfecta om-  
 nia, quæ Deus promisit, & nuntiavit. ac de-  
 inde alia attendant, quæ consequantur. Si ve-  
 rò nos negabimus esse nunc secundum aduen-  
 tum Domini. vt ait Ieremias. negauerunt Do-  
 minum, & dixerunt non est ipse, neque veniet  
 super nos malum: gladium, & famem non vi-  
 debimus: an non erimus similes Iudæis, qui  
 negauerunt primum aduentum Domini in car-  
 ne? & si dicas hoc pertinere ad Iudæos, non  
 pertinebit illud Ezechiel. 12. prolongabuntur  
 dies, peribit omnis visio. id dicitur hoc tempo-  
 re. quod non dicebant tunc Iudæi, qui expe-  
 ctabant adhuc Messiam. Si hoc dicunt nostri,  
 & non aduertant, quæ fiunt descripta in Pro-  
 phetis, quomodo dabunt gloriã Deo, & erunt  
 testes alijs, atque posteris, Deum præstitisse om-  
 nia, quæ denuntiavit in Prophetis? an non in-  
 uenientur contraria egisse: & vt diximus, nega-  
 re Dominum? atq; inde debere expectare gla-  
 dium, & famem? Quod verò debemus ista  
 nuntiare, ostendit Dei filius cap. 48. Isaïæ, vbi  
 ait, audiuisti; contemplare hoc totum. & vos,  
 an num annuntiabitis? cogimur omnino nun-  
 tiare, & fateri, quæ Deus præstitit nuntiata, &  
 narrat Ieremias duobus postremis capitibus;  
 quæ narrantur in Apocalypsi de Roma, & de  
 Ecclesia

Ecclesia Romana. vt scias hîc esse sermonem de nostro tempore. Ex his, quæ dicta sunt, illud primum collige. Si sermo est hîc de nostris temporibus: atque Christus probet se Deum ante secula contra Arrianos, vide tu, qui defendis sententiam Catholicam de trinitate, ne illa neges, in quibus maximè probatur æternus Dei filius vnus Deus cum patre, & Spiritu sancto. neges illa inquam, per quæ ipsemet Dei filius se Deum probat. collige & illud. si facta fuit recapitulatio (vt nûc hoc verbo vtar) à Iosue, à Salomone, à captiuis Israëlitis, si à Christo, si ab Apostolis: videtur necessarium, vt aliquando debuerit fieri totius diuinæ scripturæ, & Prophetiæ. quæ quidem recapitulatio, ac summa omnium rerum denuntiatarum, & promissionum debet fieri, atque ostendi in omnibus his præstitis, & perfectis. Et si velimus dare gloriam Deo in his, quæ ipse hisce nostris temporibus egit: quomodo id omnino, & perfectè faciemus non ostensis illis antè denuntiatis? Si dicat quis, hæc non fuisse denuntiata, quomodo verum erit illud Amosi, capit. 3. non faciet Dominus verbum, nisi reuelauerit secretum suum Prophetis suis: quæ autem fiunt, & instant, sunt talia, vt non debuerint præteriri. cùm similia non visa sint ab orbe condito. vt ait Christus cap. 24. Matthei. & Daniel 12. & Ieremias 16. Quomodo confitebimur Domino in Cithara, & Nablo, & Decacordo, si signata in his instrumentis tollemus? magna, & admirabilia opera Domini,



quæ dicuntur in Psalmis, ore, non mente, ac intelligentia maiori ex parte percurramus. His memoratis percurramus iam loca Isaia, in quibus hæc exponuntur: atque prophetia ostenditur complecti omnia tempora, prima, media, & postrema. cap. 41. versu 22. non Papa, non Papæus, non horum imitator nuntiat, quæ futura sunt: non ostendit priora, quæ fuerunt: non cognoscit, quænam nunc ipsi, & nobis euentura sunt. aduerte hîc, ubi dicitur. priora, quæ fuerunt, nuntiare, significari quæ euenerunt à Christo vsque ad nostra tempora: non posse ostendi in Mose, in Prophetis, in Apocalypsi ab his, qui in primo aduentu Christi volunt prophetiam esse completam. nam Iudæi priora nouerunt ex historia aperta Bibliorum. versu 23. ait filius Dei. nunciate, quæ futura sunt in posterum, & dicemus, quòd Dij estis. si homines nõ possunt, facit Deus. quia hîc est contentio, & comparatio, vtrum Iesus sit Deus, an Papa, & Papæus. versu 27. dicitur. qui nunciauit ab initio, & à principio. hæc distinctio videtur significare quæ nunciata sunt futura in Euangelio, & quæ in Mose. quæ quidem non potuit homo nunciare. hîc ergo patet versu. 26. filium Dei nunciare initio sui aduentus in carne, & à principio Genesis quæ futura erant. in Apocalypsi etiam quæ futura erant. hoc tempore etiam in omnibus Prophetis esse nunciata, quænam euentura sint omnibus Papistis & Euangelicis. cap. 42. versu 9. eadem confirmantur. & ait Christus suis. priora ecce euenerunt, & noua  
ego

ego annuntio. euenerunt, quæ nunciata sunt futura vsque ad meum secundum aduentum. & noua, nouum statum mundi, & regnum Israëliticum nunc futurum nuncio. antequam orientur, nota faciã vobis. quod facit nunc Christus, nunciat nobis, se allaturum regnum Israëliticum, atque innouatam Ecclesiam antequam fiant. vnde excitamur ad canendum canticum nouum. legatur hoc caput. & quæ dico. ibi conspiciantur. cap. 43. vers. 9. inculcat filius Dei eadem. omnes mortales simul non posse nunciare futura. ait se esse filium Dei, & Dominum qui agat, & loquatur nunc: atque Prophetas testari de se, in quibus ipse est locutus, in quibus nunciat futura. hanc breuem sententiam interpretatio prophetica pluribus comprobabit. cap. 44. ver. 6. 7. repetit Christus, se esse Deum exercituum, qui agat nunc, quæ ante nunciauit se acturum. qui ab initio constituit populos futuros in mundo. nuntiauit quæ in ipsis acturus esset. 8. per Prophetas nuntiauit, & narrauit, quæ nunc fiunt. Prophetæ testes sunt. testes futuri sunt omnes pertinētes ad ipsum Christum. cap. 45. Qui saluauit nos sua morte, seruabit & nunc nos credentes à futuris malis, vt nuntiauit in suo Euangelio. cap. 46. vers. 10. Confirmat Dei filius se Deum, qui nuntiauit ab exordio nouissimum: & ab initio, quæ nondum facta sunt. & quod aliter res non euenturæ sint, ac ipse nuntiauit, inquiring. concilium meum stabit, & omnem voluntatem meam faciam. cap. tandem 48. cum Ecclesia Romana contendit

filius Dei, quòd ipse sit Deus, non Papa. ver. 3.  
 ipse priora nuntiauerit, ex ore suo exierint: atq;  
 illa audire fecerint, suo tempore effecerit, suum  
 habuerint illa eadem euentum. & hæc ostendit  
 interpretatio Prophetica. versu 6. ait, oportere  
 nos nuntiare aduentum Domini secundum,  
 & prædicationem repetitam Euangelij,  
 & bella peracta. vt etiam in Euangelio nuntia-  
 ta sunt futura. 7. nam hoc nostro tempore Pro-  
 phetia completur, non in primo aduentu Do-  
 mini, non paulo post in excidio Hierosolymita-  
 no, vt multi dicunt. nec Papistæ nouerunt  
 hæc futura, quæ nunc fiunt. qui nihil sciunt, &  
 volunt esse Dij in mundo. versu 14. nuntiatur  
 regnum Papisticum perdendum. quod non no-  
 uit Papa nec Papæi. 16. concludit Christus, se à  
 tempore, quo cœpta est Prophetia, & apertè in  
 suo Euangelio nuntiasse, quæ nunc fiunt. &  
 quando hæc nostro tempore cœpta sunt fieri,  
 se adfuisse. qui cuncta, quæ locutus est in Pro-  
 phetia, perficiat, & compleat missus nunc se-  
 cundò à patre. additur. & spiritus eius. vt sig-  
 nificetur venisse in spiritu, vt dictum quoque  
 est capit. 45. tantum in te est Deus, & non est  
 absque te Deus. verè tu es Deus absconditus,  
 Deus Israël seruator. vnde & Euangelicos in  
 Psalmis sæpe vocat Deus absconditos suos, in  
 quibus filius eius est absconditus. vnde & Chri-  
 stus cap. 25. Matthæi dixit. quòd istis non fe-  
 cistis, nec mihi fecistis. vt autem intelligas hic  
 esse sermonem de secundo aduètu, additur fu-  
 turum, vt pudeat Papistas, non autem Euan-  
 gelicos,

gelicos, dum illi perdentur, isti saluabuntur in seculum seculi. Ex Isaiâ hæc attulimus de Prophetia, quæ perducatur ad postrema tempora. Et quoniâ Ecclesiasticus. duos præter ceteros memorat, qui postrema nuntiarint, Moysen, cui reuelata sunt secula futura; & Isaiâ, qui ingenti spiritu nouissima præuidit, ac de Isaiâ dictum est: pauca adhuc videtur addenda de prophetia Moysis, quæ extendatur ad postrema tempora. In superiori sermone de prophetia non completa in primo aduentu Domini, pauca quædam attigimus de doctrina Moysis, quæ tanquam prophetia effundatur ad postremam ætatē. hæc pauca itē addemus, ut quæ nuntiat futura, ad postrema tempora pertinere quoque cognoscatur. In Deutero sæpe significat, quæ in toto libro narrantur, perducuntur ad postrema tempora. vnde c. 2. 25. vbi ait. hodie incipiam mittere terrorem, & formidinem tuam in populos: ut id intelligas referri ad tempus quoque Sabbatismi, ut vult Paulus: addit. qui habitat sub omni cælo id non est factum adhuc, ut omnes populi, qui sub cælo fuerint, audito nomine Israelitarum pauore correpti fuerint, & doloribus, ut parturientis. cap. 4. 30. mala quæ narrantur euentura populo Dei, perducit illa Moyses ad nouissima tempora, quæ super nos casura sint, dum non reuertemur ad Dominum Deum nostrum, ut pareamus voci eius. & ibi in eo cap. vers. 32. tanquam sit nostro tempore, & loquatur nobis Moyses, ait, interroga de diebus antiquis, qui fuerunt ante te. ex die, quo creauit Dominus Deus hominē super terrā, à summo cælo usque

ad

ad summum eius. qui principia aliqua tenebāt  
 rationis Propheticae, cognoscēt hīc Mosē cō-  
 iungere postrema tempora cum primis, cap. 11.  
 vers. 21. nuntiat populum Dei calcaturum faciē  
 vniuersae terrae, quandiu cælum immineat terre.  
 idq; secundum promissionem. quod nondum  
 est factum. Et cap. 26. & 28. ait. Constituet te  
 Dominus Deus tuus superiorem omnibus gen-  
 tibus terrae. quod item nondum est factum. ca.  
 12. 28. præcipit multa, quæ videntur solum per-  
 tinere ad tempora Hebræorum, & tamen præ-  
 cipiuntur simul posteris in populo Dei obser-  
 uanda vsque in seculum. cap. 23. 6. pax præcipi-  
 tur cum Moabitibus, & Ammonitis non incunda,  
 non bona eorum quaerenda cunctis diebus vite  
 nostrae in sempiternum. quod præceptum repe-  
 titur cap. 9. lib. 1. Esdr. tunc violatum ante cap-  
 tivitatem, adque adducitur in exemplum poste-  
 ris postremorum temporum. cap. 29. 14. 15. dici-  
 tur. neque vobiscū solum pango pactum istud,  
 & iuramentum; sed cum eo, qui est hīc nobiscū,  
 & cum eo, qui non est hīc nobiscū ho-  
 die, & vt postrema tempora intelligas, ait ca. 31.  
 29. vnde euenient vobis malum in nouissimo  
 dierum. cap. tandem 32. 7. 8. loquitur de genti-  
 bus factis Israëlitibus. atque ex versu 22. & 43. po-  
 tes aduertere Mosē loqui nobis, qui fuimus  
 gentes. & potes aduertere ante historiā Iudæo-  
 rum ad nos translata, vt in ea res nostrae de-  
 scriptae sint, & postremorum temporum. Atqui  
 rem ipsam cōcludat iam Christus, qui ait Mat.  
 5. Vsque dum pertranseat cælum, & terra, iota  
 vnum

num, aut vnus apex non prateribit à lege, vsque dum omnia fiant. Ergo in lege denunciantur futura vsque ad finem mundi, concludat & item Christus, qui ait Apoc. i. ego sum  $\alpha$ , &  $\omega$ ; principium, & finis; primus, nouissimus, & qui hæc non intelligit, discat ab Isaia cap. 40. & 41. vsque ad 48. & sciet verbum Dei nuntiasse ab initio postrema, & mundum facta. In hac iam disputatione Isaia & Moïsis & sententia Christi apparet prophetiam perduci vsque ad postrema tempora. vt Prophetæ omnes testantur se scribere de postremis temporibus, vt Isaia 2. Iere. 20. & 23. & 28. Dan. 2. 1. 9. & 12. Io. 2. Mich. 14. vt Apostoli, & Petrus de restitutione omnium locutos ait Prophetas, quæ fiet quidẽ illa in secundo aduentu Domini. & Daniel cap. 9. euentum suum docet habituram Prophetiam, quando finietur preuaricatio, consumptum erit peccatum, expiata iniquitas, adducta iustitia sempiterna. quæ nondum facta sunt. in prophetia aperta alijs rationibus patebit prophetiam produci vsque ad postrema tempora. ac his generatim positis videamus iam in singulis libris Bibliorum inesse prophetiam, nec eam adhuc completam ostenderit deinde Prophetas narrare secundum aduentum Domini, & describere postremam ætatem mundi.

PROPHETIA PROBATUR  
NON COMPLETA IN OMNI-  
*bus sacris libris.*

Quamuis ex interpretatione, & ex ratione ostensa interpretationis Prophetia, quæ ducatur

ducatur vsque ad postrema tempora, sit cōprobanda in libro Genesis, atque in alijs deinceps: tamen ante simplici quodam modo, ac secundum communem sensum, & intelligentiā quædam initia videntur proponenda. quibus quæque adducatur, aut etiam cogatur, vt credat, in omnibus sacris libris inesse Prophetiam vsq; ad postrema tempora. cuius euēta non sint adhuc perfecta. percurramus igitur sacros libros initio ductu à Genesi. in quibus videbimus, quæ se ostendunt prophetiam, & quæ aliorū librorū in alijs libris citantur tanquam prophetica.

*In Genesi, quæ Prophetia est, probatur non completa omnino, seu tota in primo aduentu Domini.*

Cap. 49. Iacob Patriarcha nuntiat in duodecim capitibus tribuum, quæ euentura erant in nouissimis diebus. memorat factum Ruben, facta Simonis, & Leui. quod similia futura essent in populo Dei in nouissimis diebus. futura itē alia in populo Dei in nouissimis diebus nūtiat in alijs nouem filijs suis. Ergo patet in fine Genesis extare prophetiam. quæ quidem quoniam adhuc maiori ex parte non intelligitur, nec tota est aperta Ecclesiæ, patere quoq; debet, nūtidum perfectum habuisse suum euentum. Et si verum est, quod patribus omnia contingebant in figura, vt Apostolus docet, etiam in toto negotio Iosephi erit figura: atque aliquid tale in ipso nuntiatum expectamus. quandoquidem adhuc non pateat in Ecclesia vnum & certū, & proprium simile factum: vt qui à fratribus sit venditus,

*Beel. 10. d.  
Testament.  
Leui.*

venditus, carceribus vinctus, pauerit populum.  
 quid si illud sit, quod ait Christus de suo secun-  
 do aduentu loquens c. 24. Matth. Quis est fide-  
 lis seruus, & prudens, quē constituit Dominus  
 super familiam suam, vt det illis cibum in tem-  
 pore? Ephraim & Manasses Psal. 80. reuocātur  
 ad prophetiam. In testamento Neptalim, & Io-  
 seph Iacob ostendit Iosephū retulisse Christū,  
 qui rogauerit pro persecutoribus, & interfecto-  
 ribus, dum Ioseph contendit apud Deum, con-  
 tendit apud Iacobū patrem, vt fratribus noxa  
 dimittatur, & obliteretur, dū post mortē patris  
 occurrit metui fratrum atq; eorū animos con-  
 firmat, ne quicquam à se illis metuēdum sit vn-  
 quam. Quod iam in Esau, & Iacob extiterit  
 Prophetia non solum passim Prophetæ docent,  
 sed & Apostoli. in Isaaco, & Ismaële affirmat  
 Paulus. Et si credētes dicimur filij liberæ, Iudei  
 non credentes filij seruæ: ergo & in Sara, & in  
 Agar erit prophetia, & in Rebeca. item in Ra-  
 chele. quæ à Prophetis, & ab Euangelistis dicta  
 est plorasse, postremis etiam temporibus, vt  
 asserit Ieremias, filios suos. De Abrahamo ni-  
 hil est, vt dicam, qui dictus est pater omnium  
 credentium: & ex cuius semine benedicendi  
 sunt omnes, quicunque vitam à Deo consecuti  
 sunt beatam, & æternam. Nihil est, vt dicam de  
 Melchisedech, de quo tanta memorat Paulus.  
 Quæ præterea narratur de Lot, de Sodomis, de  
 Amoræis, an nū sunt assumpta in tota prophe-  
 tia rerū futurarum nuntia, non solum inquam à  
 Prophetis; sed & à Christo, & ab Apostolis?

Quot

Malach. 1.  
Amos 1.

1ro. 49.  
Eccl. 26.



Quot verò sunt in Prophetis, & in nouo Testa-  
 mento loca, in quibus mentio de his omnibus  
 fit, quæ adhuc non intelliguntur, propterea quòd  
 nondum euenta omnia sunt visa? Ac vt agamus  
 primum de Abrahamo. cap. 15. vbi quærit A-  
 braham in quo cognoscam, quando possidebo  
 eam? quæ respondit Deus, non sunt peracta in  
 primo aduentu Christi. ergo expectatur, vt fi-  
 ant. & quòd sint prophetia, quæ dicuntur de  
 concione animalium, affirmat Ieremias. qui ca.  
 34. interpretatur illam concionem, & nunciat  
 futuram. cap. 22. 17. promittit Deus semen A-  
 braham possessurum portas inimicorum suorum.  
 quod perficiendum est in interitu Antichristi.  
 cap. 28. 14. dicuntur benedicendæ omnes fa-  
 milia terre. quod nondum est perfectum. Sunt  
 multa alia, immo verò omnia, quæ continent  
 prophetiam. In Euangelio, & in Apostolis, vt  
 præteream Prophetas, quàm sepe, vbi de postre-  
 mis temporibus agitur, memorantur facta So-  
 domorum, & aliorum? De ædificatoribus tur-  
 ris Babel, de terra illa Sannar, quàm sepe fit  
 mentio in Prophetis? Accedamus verò ad Noë.  
 an num ait Petrus, aquam illam respondere bap-  
 tismati. quòd credentes in baptismo salui sine  
 non credentes prædicatio baptismatis condem-  
 net ad interitum? An num illud est Christi apud  
 Mattheum ca. 24. & Lucam 17. de trucidatio-  
 ne Euangelicorum facta Lutetiæ, & in Gallia?  
 sicut factum est in diebus Noë, quando dilu-  
 tium perdidit omnes, dum edebatur, bibeba-  
 tur, nuptiæ celebrabantur? in Luca sequitur.  
 idque

Idque non est ab Isaia notatum cap. 54. g. 5. similiter ignis in diebus Lot perdidit Sodomam, & alias ciuitates, dum edebatur, bibebatur, vendebant, emebant, plantabant, & edificabant. secundum hæc ait Christus erit dies, quo filius hominis reuelabitur. hoc autem breui futurum est. atque tota propè Europa incendio bellico ardebit. loco aquæ erit sanguinis diluuium, & diluuium, ac innundatione sanguinis, & ignis mergetur, & consumetur cælum, & terra præsentis status Ecclesiastici, & politici, vt memorat Petrus nunc futurum, quemadmodum contigisse vidimus tempore Noë, & Sodomorum. <sup>2. Petri. 2. & 3.</sup> Progrediamur ad Enochū. si Enochus scripsit Prophetiam de postremis temporibus, vt ait Iudas, ergo & quæ acta sunt suo tempore reuocantur ad Prophetiam de postrema ætate mundi. Et quæ fuerunt in Abel, & Caim reuocantur à Christo ad sua tempora vsque, & ab Apostolis ad postrema. In vno Adamo num sunt positi omnes mortales, vt in secundo Adamo omnes reuocati in paradysum, vt docet Paulus? an num est illud Prophetia. semen mulieris conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo illius? Si iam Christus contriuit omnino caput serpentis in suo primo aduentu, quomodo serpens insidiatus est calcaneo eius? quomodo ait Petrus suo tempore serpentem sicuti Leonem rugientem quærere quem deuoret? & Ioannes in Apocalypsi serpentem proiectum in terram, qui seducat rotum orbem? ergo & hæc prophetia restat adhuc complenda. vt dum insidiatur serpens se-

mini mulieris, semen mulieris conterat illius  
 caput. perueniamus tandem ad primum caput.  
 Si præter historiam creati cæli & terræ, atque  
 eorum, quæ in his sunt, non est aliud nobis  
 propositum, quod cognoscamus: ergo omnia  
 in eo capite, & alijs deinceps debebunt esse a-  
 perta toti Ecclesiæ. contra verò res se habet. &  
 vt pauca attingam. quomodo primo die dici-  
 tur lux dies, & tenebræ nox, si quarto die fuit  
 creatus Sol, qui præesset diei; & Luna, quæ præ-  
 esset nocti: & si Sol, & Luna efficiunt diem, ac  
 noctem creati quarto die; quomodo fuit ante  
 hunc quatum diem primus, secundus, & tertius  
 dies, ac nox. & quomodo fuit dies quartus, si  
 tunc primum facta sunt illa, quæ efficiunt diem,  
 ac noctem. quomodo ante illa quæ efficiunt  
 diem, ac noctem, est dies atque nox? Quare se-  
 cundus dies non benedicatur, vt alij? Quæ nam  
 ratio est, vt tertio die fiat separatio terræ à ma-  
 ri, & id vocetur bonum: iubeatur terra pro-  
 ducere plantas, quod vocetur bonum: item sexto  
 die creentur animalia terrestria, & vocentur bo-  
 num; deinde homo, qui cum cæteris rebus crea-  
 tis, & factis vocetur bonum? cur in his duobus  
 diebus duo distincta ponantur, quod non fit in  
 alijs diebus? Quæ ratio est, vt in Iobo cap. 40.  
 dicat Deus. Ecce nunc Bohemot, quem feci te-  
 cum. sexto quidè die dicitur creatus Bohemot,  
 & Adamus. quomodo autem cum Iobo, qui  
 fuit tot annos post creatum Bohemotum, & Ada-  
 mum? Quæ ratio creationis hominis ter dicti crea-  
 ti ad imaginem, & similitudinem Dei: item edentis  
 de

de omni ligno paradisi vno solo vetito? Quæ ratio, vt c. 2. vers. 4. generationes cæli & terræ dicantur, cum generatio tribuatur animalibus, & parientibus? quanam distinctio sit, vt dicatur, arbor scientiæ boni, & mali: dicatur arbor, quæ sit in medio paradisi: dicatur arbor vitæ? Quæ ratio, vt cap. 7. dicatur de iuuentis, vir, & vxor eius sumendi? Quæ ratio, vt post diluuiū vnum datum sit solum præceptū, vetita sanguinis esca, atque id præceptum toties repetitū in lege? Satis sit hæc pauca pro exēplo posuisse eorū, quorum aperta, & cetera nō extat interpretatio. ergo si multa restant, quorū interpretatio adhuc non habetur, per apertam prophetiam in euentis rerum erit illa expectanda. Si iam plurima sine controuersia sunt prophetia; & exoptatur, vt multa loca aperiātur in prophetia, quæ interpretetur mystica: etiā in tota narratiōe erit eruēda interpretatio mystica. vt enim literalis rerū narratio ordinē retinet, & consequentiā omnium inter se, quæ exponuntur; & mystica quoq; debuit esse narratio continuata, & consequens omnium, quæ in toto libro significantur per prophetiam futura. Vnde oportebit, cū totā totius libri sententiā mysticā in perpetua & cōtinuata narratione cōplecti: atq; exponere ordine, tū idē in singulis partibus facere. oportebit in quā totā primi cap. sententiā tenere, singulas partes interpretari & singula verba, singulasq; repetitiōes, atq; causas in omnibus afferre, idē agere in 2. & 3. c. In 4. vbi agitur de filiis Adami, aperire quæ dicuntur de filiis Caim, & posteris præter illa quæ sunt Abeli

idem præstare ubi agitur de Seth, Enofo, Enochò, & Noë: totum opus atcæ, & eius fabricam cum suis partibus, & mensuris prosequi: exponere quænam historia significatur futura in ædificatione turris Babelicæ. tota historia Abrahami cum promissionibus sibi septies repetitis. tota historia pariter mystica Isaacii, & Israëlitarum: Iacobi, & Esau: duarum vxorum Iacobi, & ancillarum; duodecim fratrum; & separatim Iosephi. & quare in duodecim filiis Iacobi capitibus duodecim tribuum comprehensa sint tempora futura, & postrema. atq; post hæc omnia cõmemorata extet, & viuat adhuc Iacobus. Hæc omnia sunt adhuc patefacienda Ecclesiæ. vt omnes fideles in ea cognoscant hũc primum librum sacrorum voluminum continere historiam mundi: atque esse flumen illud quod egreditur è loco voluptatis diuidendum in quatuor flumina librorum quatuor legis, Euangelij, ac Prophetiæ, continet enim liber Genesios opus filij Dei in mundo à principio ad finem vsque, vnde initio dicitur, in principio. in fine, in nouissimis diebus. hinc plura non videntur dicenda. quia non agitur nunc de interpretatione, nec de ratione interpretationis, vbi firmiores rationes afferentur: sed animaduersio excitatur. quòd in hoc libro insit Prophetia. quæ non omnem adhuc suum euentum habuerit.

*In Exode, Leuitico, Num. Deut. non completa Prophetia.*

Quòd sit Prophetia in quatuor quoq; libris legis,

legis, docet Christus, qui ait apud Matth. c. ii. omnes Prophetas, & ipsam legem vsque ad Iohannem prophetauisse. docet & Paulus, qui in Epist. ad Hebr. ait legem obtinere umbram futurorum bonorum. vnde in prima ad Corinth. cap. 10. enumerat multa, quæ continebantur populo Israëlítico in deserto, quæ fuerunt signa terum nostri temporis, in quos fines seculorum deuenerunt. aitque patres baptizatos in Mose edisse eandem escam spiritualem, bibisse eandem potionem spiritualem. atq; similem in illis, & in nobis fuisse idolatriam, scortationes, murmurationes: similiter utrosq; tentasse Christum. hinc Iudas, Petrus, Paulus ex Balaam, ex filiis Chore, Dathan, & Abiron: ex his, qui Mosei restiterunt multa de futuris, ac postremis temporibus vaticinati sunt. vt ex Sodomitis, & aliis impijs gentibus in Genesi. Historiam autem de seruitute Ægyptiaca, & liberatione populi Dei ab illa, de itineribus, & actionibusque quadraginta annorum in desertis regionibus, de bello, de patria Amonitarum, & Moabitarum, qua potitus est idem Dei populus, Paulus cap. 3. & 4. Epist. ad Hebr. reuocat ad liberationem nostram à Satana factam per mortem Christi: deinde ad liberationem ab antichristo, quando deinde dabitur Sabbatismus populo Dei. & omnino quæ historia est de Moabitis, Amonitis, & Amalechitis assumitur à Prophetis ad describendum futura. quòd Moses in illa historia describenda nuntiarit, qui Moabitæ, & Amonitæ, & Amalachitæ futuri essent illis temporibus, de quibus Propheta lo-

quuntur, hoc est: secundi aduentus Domini. Præterea in agno paschali est mysterium vtriusque liberationis à Satana, & ab Antichristo. à Satana dum ait Christus. Desiderio desideravi hoc pascha māducare vobiscum antequam par-  
 tiar. quod scilicet exhibiturus esset ipse veritatem, quæ fuit in figura agni. ab Antichristo, quod non post hac ederet de eo vsque dum cō-  
 pleatur in regno Dei. Et si tota historia de Pharaone occidente, & opprimente populum Dei non conspicitur in secunda liberatione, nisi dū  
 martyres obtinuerunt Romanam ditionem, & alias regiones gentium: conspicitur insignitè  
 nunc in tertia, dum in Gallia Papatus agit Pharaonem non dimittentem Evangelicos, vt sacrificent Deo. hinc fit, vt in Psalmis, & in Prophetis passim vsurpetur liberatio Ægyptiaca & præ-  
 sentia memorando, & præterita reperendo, & futura nuntiando. atque Psalm. 78. Dauid omnino ostendit futura in his, quæ contingerunt  
 populo Israëlitico in Ægypto, & in deserto. Et de Antichristica liberatione ait Ieremias cap. 16  
 ecce dies veniunt, & non dicetur vltra. viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Æ-  
 gypti; sed viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra aquilonis. Quod verò bella, quæ  
 deinde gesta sunt viuite Mose figura fuerint bellorum futurorum in ortu nouæ stelle, & in  
 restituendo regno Israëlitico, docet vaticinium Balaamicum. Ac vt ad magis vniuersalia venia-  
 mus, cap. 3. Exodi dictum est. Dominus Deus patrum vestrorum Deus Abraham, Deus Isaac,  
 Deus

Deus Iacob. hoc est nomen meum in seculum, & hoc est memoriale meum in generationem, & generationem. post Christum non ita appellatus est Deus. ergo significabatur vnus Deus, pater, filius, & Spiritus sanctus. in Abrahamo, Isaac, & Iacobo status patris, status filij, status Spiritus sancti. vt probauit Abbas Ioachimus. quod cognoscent omnes in statu tertio, qui erit Spiritus sancti. ergo tūm fuit denunciātū, atque adeo in ipso Abrahamo quæ futura erāt de Ecclesia in generationem, & generationem vsque in seculum. quod & manifestum est in Iacobo, qui in suis duodecim filijs nuntiat futura in postrema ætate. Tabernaculum cum arca, mensa, candelabro, & altari non solum representant Christum & Ecclesiam omniū temporum; sed & ipsum cælum, vt ait Paulus in Epist. ad Heb. cap. 8. & 9. docet idem in Aarone, & victimis sacerdotiū Christi, & eius oblationē, in sanguine animalium sanguinem Christi effusum pro peccatis nostris. Præterea verò dum agni epulum iubetur celebrari in generationibus cultu sempiterno: itē infermetatorū cōmestatio cultu sempiterno: statutū perpetuū esse in generationibus ne omnis adeps ne omnis sanguis edatur: ac cū hæc, & alia secundum literam non sint seruata cultu, & statuto perpetuo, ergo quod in ipsis significabatur, præcipitur seruandum omnibus seculis. Et quia in primo aduentu Christi non fuerunt hæc omnia omnibus in Ecclesia patefacta, restare cēsendum est, vt patefiant, cum fuerint perfecta omnia, quæ in ipsis sint cōsignata.



Præterea cùm quæ multa signarint Ecclesia tota non perceperit. vt quid signatum sit in primo genito sanctificato Deo, & Christo Iesu. quid in caturnicibus, quid in tonitruo, & fulgure, & nube in monte. quid in multis, ne dicam nunc in omnibus præceptis. vt illud. hædum in lacte matris ne coquito. quid in animalibus mundis singulis, & in immundis singulis, in lepra, in seminifluo, in semine dato Molocho, & in alijs. ac cùm hæc videantur propè omnes retardare in legendo, expectatur, vt propria cuiusque rei afferatur interpretatio. quæ quidem dabitur in aperta Prophetia. Quid iam dicemus de holocaustis, & de tot sacrificijs, & oblationibus; de tot ceremonijs in his seruandis? generatim quidem omnes nouerunt in ipsis significari Christum, & quæ ad iustificationem hominis in Christo pertinent, sed vt vniuersa distinguantur, & in singulis propria afferatur interpretatio, id verò expectatur à Domino. Ac cùm constet p̄ prophetiam inesse in quàmplurimis, quæ in his quatuor libris legis continentur; quæque in literali sententia habeant consequentiam cum omnibus, quæ in iisdem quatuor libris continentur; etiam erit consequentia omnium in interpretatione mystica, vt rota narratio in his quatuor libris rerum continuarum contineat prophetiam nō solum de primo aduentu Christi; sed & de secundo, & de nostris temporibus. quod quidem ostenditur à Christo dum ait. non edam de eò, scilicet agno, vsque dum compleatur in regno Dei. quod ostendit

ostendit & Paulus, qui ait fore, vt relinquatur populo Dei Sabbatismus. & Moses ipse ostendit. qui & nobis se loqui profitetur, dum loquitur populo in deserto. vbi ait cap. 4. Deut. Interroga nunc de diebus antiquis, qui fuerunt antè te, à die, qua creauit Deus hominem super terram ab extremo cæli ad extremum cæli. non potes interrogare ad extremum cæli, nisi sis tu in postrema ætate mundi. aut nisi per prophetiam videas postrema tempora. Et cap. 9. Deut. vers. 14. ait Deus. Nec vobis solis hoc fœdus ferio, & hæc iuramenta confirmo: sed cunctis presentibus, & absentibus. Vnde 4. Esdr. 14. 5. ait item Deus. & narraui ei, scilicet Mosi mirabilia multa, & ostendi ei temporum secreta, & finem. In fine Deut. Affertur prophetia in duodecim tribubus de vltimis temporibus. quæ adhuc non est aperta. quòd euenta ex maxima parte non fuerint adhuc visa. Quòd autem in duodecim tribubus exposita sint, quæ ad nos gentes pertineant, moniti fuimus cap. 32. Deut. vers. 8. vbi dicitur. Quando diuidebat altissimus hæreditatem gentibus, quando separabat filios hominum, constituit terminos populorum secundum numerum filiorum Israël. Illud erit postremum argumentum, quòd Moses locutus sit de nostris temporibus, quia videmus in Gallia factum ipsum Pharaonicum, dum libertas cultus Evangelici prohibetur, & seruitute præmuntur Evangelici; occiduntur: dum Evangelici puniuntur, qui fœdus, & amicitiam inierunt cum Papistis. quòd prohibetur à Deo

in Exo. c. 23. 32. & alibi: dū videmus perfici multa, quæ in benedictionibus & maledictionibus denunciata sunt futura circa finem Deut. seruāribus præcepta Dei, & eadem violantibus. Et hanc partem simul concludat Christus, qui ait cap. 5. Matthæi. Vsq̄e dum pertranseat cælum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege vsque dum omnia fiant.

*In Iosue Prophetia non completa.*

Quòd & in Iosue sit prophetia, inde scire debemus, quod sit continuata & vna historia cū superioribus libris, in quibus est prophetia: & dū sermo est ad Israëlitas de terra Canaan, & de alijs finitimis regionibus, cap. 1. vers. 3. & 4. dicitur Israël possessurus omnem locū, quem calcauerit planta sui pedis ab occasu solis ad mare magnum. quòd termini gentium, vt dictum est in Deuteronomio, diuidēdi sint secundum numerum duodecim tribuum filiorum Israël. cap. 4. omnes populi terræ dicuntur cognituri manum Domini. cap. 8. innouatur Prophetia consignata in libro Deuteronomij dum iteratur lectio legis toti populo coactō, qui stat ad arcam pars vna versus Garisim, pars altera versus Ebal, benedictionibus, & maledictionibus repetitis. Et si minus hæc fidem faciunt, est Paulus, qui affirmat cap. 3. & 4. Epist. ad Hebr. sub patria illa à Deo data per Iosuem aliam, & aliā signari, atq; sabbatismum dandū populo Dei. Psalmo 78. exprobrat Propheta idem beneficium post datam alijs, qui ingrati fuerint post accep-

acceptam à Deo aliorum hereditatem. Psalmo 114. quod præstitit Deus populo Israëlitico per Iosue. significauit tum Deus idem se præstiturū alijs temporibus, vt det populo suo terras gentium, qui labores aliorum populorum possideret. Et vt ita intelligas, Propheta cum Psalmo 131. memorat Deum per Iosuem dedisse populo suo hereditatem, addit. Domine nomen tuū in æternum. Domine memoria tua in generationem, & generationem. vt intelligas sabbatismum dandum populo Dei.

*In libro Iudicum Prophetia non completa.*

Cap. 2. arguitur populus, qui fœdus inierit cum gentibus, quod cauebatur in Exodo, & Iosue. & consultò ait Deus, se non expulisse gentes ex Israële vt hic per illas puniretur, quando non obseruaret sua præcepta. quod fuit & nostrorum temporum Prophetia quando reliquit pariter Deus Euangelicos mixtos Papistis, vt per hos illos puniret non viuētes secundum Euangelium susceptum. quod vidimus factum in Gallia, & alibi. Quæ autem est historia de Debora, & de Baraco, & Sicerca rege: & quæ cap. 7. & 8. de Gedeone, & de tot regibus, & copijs cæsis, reuocantur Psalmo 83. & ab Isaia capite 9. ad tempora futura. vt fuerint prophetia. Quòd item historia de Leuita, & eius vxore constuprata, & interempta à Gabaonitis, prophetia fuerit, docuit Oseas capite 10. reliqua in hoc libro non minus sunt prophetia, quòd

quòd interpretatio non sit aperta. quia & in Prophetis multa sunt, quorum interpretatio expectatur ex euèntis. ita ergo & hîc censendû est.

*In libris Regum Prophetia non completa.*

Cùm Petrus Act. 3. à Samuele ducit initium Prophetarum qui præter Moſem de aduentu Domini locuti ſunt, non ſolum de primo; ſed etiam de ſecundo: atque Prophetia Samuclis, & aliorum Prophetarum aut ſit in libris omnibus regum, aut ex tota historia librorum Regû magna ex parte materia ſit ſumpta à Prophetis ad describenda, & narranda futura: ergo & in quatuor libris Regum erit Prophetia. nec verò hoc infirmabunt, qui dicunt Samuelem locutum quidem de rebus futuris; ſed quia fuerint illius temporis pertinentia ad Eli ſacerdotem, & ad eius filios: ad Saulem, & ad Dauidem: ad ea, quæ fuerunt ſuæ ætatis. hos enim refutat Petrus, qui ait & Samuelem, & alios omnes locutos de poſtremis temporibus. quod quidem & patet in prophetia Natam de Dauide: in Pſalmis; in Elia, & Eliſæo: in quatuor, & in duodecim Prophetis. Si autem in Samuele non videt aliqui, quomodo loquatur de poſtremis temporibus, erit his cogitandû, Petrum non ſcripſiſſe mendacium, qui fuit & ipſe Propheta. atque ex myſtica interpretatione ſumpta ex doctrina, & ratione prophetica cognoscere oportere Samuelem cum cæteris poſtrema quoque tempora denuntiaſſe. Ac ſi ab initio uſque ad finem librorum Regum videmus per Prophetas  
ſuos

suos Deum ostendisse, quæ agi, quæque non  
 agi oporteret, ab initio vsque ad finem eorum  
 librorum censendum erit contineri futurorum  
 temporum prophetiam. atque si narratio litera-  
 lis est perpetua, debet & mystica esse perpe-  
 tua. ergo tota historia librorum Regum debe-  
 bit continere rerum futurarum Prophetiam.  
 Præmittam alias rationes, quæ dicentur in in-  
 terpretationibus, & hæc generatim dicta sunt.  
 percurramus iam singularia. vt ex his quoque  
 pateat prophetiam in libris quatuor regum, &  
 in duobus Paralipomenon contineri. In canti-  
 co Anne capite secundo libri primi si aduertan-  
 tur, quæ dicuntur, paululum videntur facere ad  
 æmulationem, quæ sibi fuit cum inimica, dum  
 victoriam suam extollit contra inimicos, & ho-  
 stes: atque magna opera Dei recenset. signifi-  
 catur enim prophetia, quæ aperitur vers. 10. vbi  
 secundus aduentus Domini indicatur. Vnde in  
 Samuele propter quem præcata est Anna intel-  
 ligendus est aliquis deuuntiatus futurus. præ-  
 fertim cum cap. 1. vers. 22. dixerit Anna. & ma-  
 neat ibi vsque in seculum. nec nunc quæritur  
 quisnam, aut quænam sint illa, quæ signentur,  
 sed an aliquis signetur. Ac cum in Samuele pa-  
 tebit aliquid signari, censendum erit in Anna,  
 & in Eli sacerdote, ac duobus filijs aliqua sig-  
 nari. quæ quidem cum ex alijs locis Propheti-  
 cis, tum ex cap. 54. Isaia, & 7. Micheæ possunt  
 aduerti. nec verò est alia prophetia Samuelis,  
 quam in libris Regum. ergo in libris Regum  
 erit Prophetia. Quid illud est 1. Reg. 4. 6. quòd  
 Phi-

Philistæi percutiuntur in posteriori parte, atque ani auræ, & mures auræ iubentur appendi arcæ, quæ restituitur? quis audebit dicere, ibi non esse consignatum mysterium, tamen adhuc non perceptam? & illud quidem suo tempore aperietur. quid si iam est apertum intellecta abominatione in loco sancto? Vbi Saul memoratur 1. Regum. 13. obtulit holocaustum, an num Propheta Samuel aliquid futurum indicauit, eum dixit. Deum firmasse regnum Saul usque in seculum, si seruet sua præcepta? quod eum non fecerit, alium in eius locum electum esse à Deo. atque hinc fit, ut toties memoretur in Prophetis Galgala. vbi conclamatus fuit Saul à populo Rex, & vbi obtulit holocaustum. ut id peccatum, seu eadem peccata signarentur hominibus, qui futuri essent alij Saulés, vnde illud Ozeæ 12. in Galgala boues immolarunt. & 4. nolite ingredi in Galgala. 1. Reg. 15. Cum in Exodo cap. 17. iussent Deus delendam Amalechi memoriam sub celo in generationem, & generationem: atque idem iubetur Saulo intelligitur & Saulo, & futuris regibus in omni ætate aliquid iuberi à Deo signatum in internitione Amalechitarum. 1. Reg. 17. omnes in Goliado victo, & interfecto à Dauide fatentur aliquid significari, atque esse Prophetiam: sed adhuc non omnia euenerunt, quæ in eo facta sunt signata. 1. Regum 18. Quæ sequuntur usque ad finem libri, in Psalmis assumuntur ad ostendendum futura. Si autem tu referas omnia ad præterita,

terita; incidēs in ea, quæ necessariò ad primum Christi aduentum referas: incidēs in ea, quorum interpretatio non habebitur, nisi in secundo aduentu. & illa quidem sumpta ex historia de Dauide, & Saulo. Quæ præterea in toto secundo libro narrantur sumpta sunt à Dauide in Psalmis. & hæc, vt iam dixi, in Psalmis reuocantur ad primum, & ad secundum aduentum Domini. nec est, vt hîc confectam hanc historiam rerum gestarum Dauidis cum his, quæ exponuntur in Psalmis; atque ostendam, quæ in Psalmis assumuntur, referri ad futura secula: ostendam item, quæ à Prophetis sumpta sunt ex hac historia de Dauide: quia nunc tantum aduertimus in libris Regum inesse Prophetiam, non eam exponimus. Quòd iam ex tertio libro credendum sit, futurum regnum Davidicum in terris, quando eiectus erit è mundo Antichristus, & deinde Salomonicum perpetuæ pacis, Abbas Ioachimus, & qui cum eum secuti sunt usque ad Hieronimum Sauonarolam, multa scripserunt, & nunciarunt. De regno Davidico multa in Psalmis, & in Prophetis scripta sunt tributa Christo sub nomine Dauidis. quod regnum appellatum est Israëliticum. & inde est promissio de illo regno perseueraturo. & hæc quidem quisque debuit aduertisse, & legendo poterit aduertere. Quare non plura sumus hîc dictaturi, qui vt dixi, aduertimus, vbi sit Prophetia, non eam nunc exponimus. In templo ædificato à Salomone, & in domo



domo idcirco videtur esse prophetia, quemadmodum & in tabernaculo. quia adhuc non habetur expositio totius ædificij, & singularum partium, & rerum in eo. Quod verò in Roboam, & Ieroboam, & in his, quæ ipsorum sunt, fit Prophetia, probatur ex Prophetis, qui toties eadem peccata, & Idolatriam reprehendunt in regibus futuris posterioribus, & postremis temporibus. In alijs regibus Israëlitis, qui sunt secuti facta Ieroboam assumitur eadem impietas ad denuntiandum in futuris seculis eandem impietatem regum futurorum, & populi. Quod autem in Elia, & Eliseo fuerit prophetia, probatur ex Petro Acto. 3. qui ait Prophetas quotquot fuerant locutos fuisse de postremis temporibus: ergo in rebus gestis temporum horum Prophetarum continebitur Prophetia postremorum temporum. Quæ præterea sequuntur in quarto libro facta Elisæi, & Regum, debent ut dictum est, continere Prophetiam, & quæ c. 16. & deinceps vsque ad finem libri narrantur, dum adest Propheta Isaia, deinde reliqui Prophetæ vsque ad completam liberationem à seruitute Babylonica, continebunt pariter prophetiam. quia Prophetæ plurima ex illa historia sumpserunt ad ostendendum, quæ futura essent sequentibus, & postremis temporibus. Si enim locuti sunt de postremis temporibus omnes Prophetæ, ut asserit Petrus Act. 3. & alibi ipse, & alij Apostoli: ac propè omnes in illis denuntiandis locuti sunt de ijs, quæ continentur in historia librorum Moïsi, & Regum; ergo in ea

historia

historia consignata sunt, quæ erant futura postremis temporibus.

*In libris Neemiæ, & Esdræ non completa  
Prophetia.*

Si Prophetia Agæi extenditur ad postrema tempora, ut asserit Petrus, & nos ibi videbimus, ergo & hæc historia librorum Neemiæ, & Esdræ continebit prophetiam. atq; erit quærendum, quid nobis nunciet trinus reditus populi ex seruitute Babylonica in patriam: restauratio primum altaris, deinde templi, tum ciuitatis. expectanda erit patefactio illarum trium questionum iuuenum, quæ narrantur in libro tertio. Eorum, quæ continentur prophetica in quarto, euenta multa ostendi possunt, & hodie videmus. & attentus in lectione, & in his, quæ sunt, videre potest reliqua instare.

*In libris Tobie, Iudit, Hester, Iobi non  
completa Prophetia.*

Quæ cap. 13. à Tobia dicuntur, quod omnes fines terræ adorabunt Dominum: gentes afferent munera regi caelesti: Hierusalem ædificabitur lapidibus preciosis: quæ cap. 14. de Hierosolimis iterum ædificandis in omnes seculorum ætates, cum omnes gentes ad Dominum se conuerterint eiectionis simulachris: cum omnes nationes celebrabunt Dominum, quemadmodum vaticinati sunt Prophete, nondum habuerunt suum euentum perfectum. Ergo & hæc adhuc futura sunt.

*Psalms. 46.*

In cantico Iudit nuntiatur pariter futurum, vt omnes creaturæ seruiant Domino, quando montes commouebuntur à fundamentis cum aquis. In decreto facto à Iudæis, quod scriptum est cap. 9. libri Hester, vt memoria extaret populo Dei in generationem, & generationem pro liberatione populi Dei ab interitu perditis eius hostibus, significatur in tota historia libri Hester esse quæ pertineant ad generationes, quemadmodum & in historia Tobix, & Iudit censendum est.

Quam verò causam existimamus esse obscuritatis libri Iob, nisi quòd in eo illa continetur signata, quorum euenta adhuc non sunt cognita. Ac nisi cap. 3. aliquid signetur, quomodo conuenient tot maledictiones cum patientia Iob adeo commendata? & cuius sermonem laudat Deus capite postremo? cap. 15. à versu 18. vsque ad finem capitis num est prophetia de Antichristo? num est eadem prophetia, capite decimooctauo, & decimonono atque vigesimo, propria iactationis Antichristi? capite 21. num ea tractantur, quæ & à Prophetis, præsertim à Ieremia capite 27. & ab Abacuch primo? cap. 22. & 24. quisque facile potest aduertere prophetiam. à cap. autem 26. vsque ad 30. exponitur iudicium futurum. vbi multa recognosces narrata à Pròphetis. Quæ loquitur Deus deinceps non videntur rectè posse percipi nisi adiumento rationis interpretationis Propheticæ. sin secus aliquis sentit, experiatur, & interpretetur hæc, & totum librum.

ita

ita vt satisfaciat expectationi eorum, qui in perpetua historia literali perpetuam, & continuatam historiam mysticam requirunt.

*In Psalmis non completa Prophetia.*

Non percurram singulos Psalmos: non queram ordinem temporum cuiusque: non multa alia, quæ dabit interpretatio. Sed tantum pauca ad monebo in aliquibus. vbi apparebit prophetiam non habuisse hæctenus euentum rerum omnium in ea denuntiatarum. Prophetia Psalmi secundi est ne completa in primo aduentu Domini, vt non magis nunc gentes, & populi; reges terræ & principes fremant, & coniurent simul, & arma capiant aduersus Christum? ac reliqua vt compleantur, iam diu expectatur. Prophetia Psalmi tertij est ne ita completa, vt non magis nunc inimici Christi percutiendi sint in maxilla, & dentes peccatorum conteriendi, quàm in euerfis Hierosolimis? Quod in fine Psalmi quarti dicitur, nos in pace somnum capturos constitutos in tuto loco, estne adhuc præstitum? estne præstitum, quod promittitur Psal. 5. Quisnam est propriè ille impius, qui perdendus dicitur Psal. 7. & 9? estne præstitum, vt dicamus, quoniam nõ in seculum obliuio erit pauperis, patientia pauperum non peribit in finem? Psal. 10. impius ille num. describitur Antichristus? Seruitus ab Antichristo num significatur finem habitura in fine Psalmi 14? Quæ Psalmo 18. narrantur si non referas ad secundum aduentum Domini, nõ habebis cõpletam interpretationem.

Cum multa in Psalmo 22. interpretatus fueris de primo aduentu Christi, quomodo expones illa. erue à framea Deus animam meam & de manu canis vnicam meam. salua me ex ore leonis, & à cornibus Unicornium humilitatem meam: nisi euenta secundi aduentus Domini dabunt tibi in manus interpretationem? quæ deinde versu 28. vsque ad finem Psalmi narrantur, suntne adhuc completa, vt solius Christi sit regnum inter gentes? Psalmo 37. num septies repetitur, malignos, impios, & peccatores eiciendos è terris, pios autem habitaturos semper in terris dum mundus durabit in multitudine pacis? Psalmo 46. dicitur terra mutari, montes transferri in cor maris, gentes turbanda, regna inclinari, bella tandem afferri vsque ad fines terræ: Deum exaltari in gentibus, & in terra. habueruntne hæc sua euenta? Psalm. 47. dicantur populi, & gentes subijci pedibus populi Dei, & Deus regnare, gentes coniungi cum populo Dei, & fieri Christi: perfectane adhuc sunt ista? Psalmo 58. dicitur lætari iustus cum viderit vindictam, pedes suos lauabit in sanguine peccatoris. & dicturus est homo. vti que est fructus iusto: vti que est Deus iudicans in terra. Psal. 66. & 67. gentes dicuntur benedicere Deo nostro, & confiteri ei. & ne tergiverferis, dicuntur gētes omnes populi omnes. Psal. 68. regna pariter terræ cantare Deo, psallere Domino: dissipari gentes, quæ bella volunt. quæ futura adhuc sunt. Psalm. 72. Dicitur dari regnum mundi Christo. vt iudicet ipse in iustitia, quando  
 florebit

florabit iustitia, & pax, donec auferatur luna: regnum Christi futurum à mari ad mare, ad fines terræ: omnes reges, omnes gentes seruient ei, atque replebitur gloria Domini omnis terra. Psalmo 82. dicitur. exurge Deus, iudica terram, quoniam tu habitabis in omnibus gentibus. quod futurum est. Psalmus 83. reuocatur ad futura tempora. Psalmo 86. dicitur. omnes gentes quascunque fecisti, venient, & adorabunt coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum. Psalmo 89. dicitur: Ego primogenitum ponam illum, excelsum præ regibus terræ: in æternum seruabo illi misericordiam meam, & fœdus meum fidele ipsi: & ponam in seculum seculi semen eius, & thronum eius sicut dies cæli. hæc singula non possunt conueniri nisi regno Christi futuro post euersum Papatum. Psalmo 92. perditis impijs dicuntur pij regnaturi, & in senecta futuros fortes, & virides. Psalmo 93. regnum Christi firmum futurum, ne habeat deinceps ullam commutationem. in quo regnabit iustitia, & veritas. Psalmo 97. regnum pariter Christi affertur, & opera, quæ agendum illud assumet. Psalmo 98. gaudium totius terræ exponitur pro regno Christi allato in toto terrarum orbe. in Psalmo 99. & 100. idem propè cum superiori est argumentum. Psalmo 101. quale regnum Christi futurum sit exponitur expulso Papatu. Psalmo 104. 35. dicitur. deficiant peccatores è terra, & impij ultra non sint. & hæc expectantur. Inimici Christi, qui dicuntur Psalmo 110. adhuc non sunt positi

scabellum pedum suorum. Psalm: 111. gentium  
 promissa hæreditas dicitur dari in regno Christi,  
 & testamentum hoc æternum futurum. Psalm:  
 112. potens in terra dicitur futurum semen pio-  
 rum affluens omnibus bonis perditis impijs.  
 Psalm: 147. Laudat Ierusalem Dominum. quia  
 firmavit Deus statum Evangelicorum: attulit  
 pacem, & copiam honorum. Psalm: 149. canunt  
 lætantur, laudant pij Dominum pro salute da-  
 ta victis aduersarijs.

*In libri Salomonis Prophetia non completa.*

Quod in parabolis signentur alia præter id  
 quod dicitur, dū simile affertur ad simile ostens-  
 dendum, id patere debet cuique audienti sibi  
 parabolas proponi. id patuit Apostolis, qui per-  
 tebant à Christo, vt sibi aperirentur parabola:  
 patuit Iudæis, qui cognouerunt Christum pa-  
 rabolis nuntiare euersione sui status. Quod ver-  
 rò è præceptis de vita quoque non solū è rebus  
 personis, & actionibus parabola ducantur, do-  
 cet ipse Salomon. qui Moysen imitatus, in præ-  
 ceptis de vita præcepta, & monita proponit sa-  
 lutaria, & necessaria, vt in præceptis præcepta  
 cognoscantur, & vt quæ assumuntur præcepta  
 ad alia ostendenda aperta sint omnibus: signifi-  
 cata deinde præcepta patefiant ijs, quos illa sci-  
 re oportebit. Vnde Ecclesiasticus hortatur piū  
 virum, qui se totum dedit ad cōtemplationem  
 diuinæ legis. vt conquirit oecultas prouerbiorū  
 sententias atq; versetur in æigmatibus parabol-  
 arum. Quod iam in parabolis Salomonis sit  
 Pro-

Prophetia, vt in parabolis Christi, docet ipse Salomon cap. 30. prouerbiorum, qui ait. Prophetia, quam locutus est vir, quicum est Deus, vt in cōclusionē libri moneat, quæ ante in toto libro locutus est, esse Prophetiam. Vnde cū fuerint suæ parabolæ per Christum apertæ Ecclesiæ, agens ipse Salomon personam eius viri, qui viderit euenta suæ prophetiæ, nec ea in hoc suo libro, aliisque aliorum recognouerit; sed post monitas per alios aduerterit: accusabit tūc seipsum inquit. Stultissimus sum virorum, & scientia hominum non est mecum: non didici sapientiam, non noui scientiam sanctorum. Ac cū nundum fuerint hæ parabolæ apertæ, cōstat prophetiam in ipsis adhuc non habuisse sua euenta. nouit Isaias, nouit Ieremias in parabolis Salomonis esse Prophetiam. nam ille cap. 65. & 66. hic cap. 7. assumit in suam prophetiam verba illa prophetica, vocaui, & renouistis, & quæ sequuntur. nouit Ozeas. qui cap. 3. narrat illud capitis septimi Prouerb. non est vir in domo sua, abiit viam longinquam: nouit Petrus. qui cap. 4. epistolæ secundæ sumpsit illud cap. 11. Prou. Ecce iusto in terra reddetur, quanto magis impio, & peccanti? nouit item Ieremias, qui cap. 25. id fieri nuntiauit. Quod item in Ecclesiaste insit Prophetia non ostendam ego. ostenderunt ante illi, qui per 400. annos dixerunt, & scripserunt. Væ terræ, væ populo Christiano, cum Gallia habebit puerum regem. quod sumptum est ex capite 10. versu 16. hoc iam habere suum euentum videmus,



& adhuc magis visuri sumus. Liber Sapiëntiæ si dubitas, an contineat Prophetiam, expecta adhuc paucos annos, & videbis euenta eorum, quæ nuntiantur capite sexto, si minus incipis aduertere, quæ ante denuntiata sunt. De canticis canticorum, nihil est, quod à me dicatur, omnes pij nouerunt, qualisnā in ipsis sit sermo.

Si eadem doctrina est in Ecclesiastico, quæ in parabolis Salomonis: atq; eadem ratio scribendi, quæ est in authoribus factorum voluminum, in ipso erit quoque prophetia. cuius erūt expectanda euenta, & interpretatio.

*In Isaiâ Prophetia non completa.*

Quod Prophetæ loquantur de tempore iudicij, de postremis temporibus, & de secundo aduentu Domini assumpto primo, ipsimet id monent. Vnde in Isaiâ capite secundo ita proponitur. Dies Domini exercituum super omnem superbum. in Iere. 1. ab aquilone soluetur malum super omnes habitatores terræ in Eze. 7. venit finis super angulos terræ. in Dan. 7. antiquus dierum sedit, iudicium sedit, libri aperti sunt. in Ose. 4. Iudicium Domini cum habitatoribus vniuersæ terræ. in Ioel. 2. contremiscent omnes habitatores terræ, quia venit dies Domini, dies tenebrarum, & caliginis. in Amoso. 1. & 2. dicitur ignis mitti in omnes peccatores. in Abdia. iuxta est dies Domini super omnes gentes. in Iona significatur cū prædicatione Evangelica liberatio piorum à Papatu per iudicium. in Mich. 1. Ecce Dominus egreditur è loco suo, descen-

descendet, & calcabit super excelsa terræ. in Naun. 1. Deus zelotes & vlciscens Dominus, iram seruans inimicis suis. Domini via est in tempestate & turbine. In Abac. 3. in ira incessisti super terram, in furore triturasti gêtes. in Soph. 1. consumendo consumam è superficie terræ dicit Dominus. in Agæo. 2. adhuc pusillum; & ego commouebo cælum, & terram, mare, & aridam; commouebo omnes gentes. item subuertam solium regnorum, disperdam robur regnorum gentium. in Zach. 2. sile omnis caro à facie Domini, qui surrexit de habitaculo sanctitatis suæ. in Malach. 4. ecce dies ille venit ardens tanquam elibanus. Quod sint tunc nouissima tempora monet Isaias cap. 2. Ierem. 23. 20. item 30. Exo. 38. 16. Dan. 28. Ioel. 2. Mich. 4. Quòd tunc futurus sit aduentus Domini, & quòd Prophetæ assumentes primum aduentum Domini narrent secundum, multi fatebuntur, & cuique legenti patere poterit. quare in his non est immorandum, nisi quatenus aliqui putant parum loqui Prophetas de secundo. iccirco percurremus hîc non totam narrationem propheticam, quam totam assumet interpretatio prophetica in secundo aduentu Domini: sed loca colligemus tantummodo aperta, quorum euenta non sint adhuc visa, futurâq; expectantur. vt ex his, quæ proponunt à se dicenda, & narranda Prophetæ: atque ex his, quæ narrant, pateat illos describere secundum aduentum Domini. Regnum Christi, in quo pax semper futura sit, & iudicium Domini, describitur cap. 2.

solus

D 5

Isaie

Isaiæ. quæ quidem adhuc non habuerunt suum  
 euentum, ergo prophetia producitur vsque ad  
 ea tempora, quando ista fient. in nouissimis scilicet  
 diebus, vt ait ipse Isaias. & Iere. 23. & 33.  
 Ezech. 38. 39. 43. Dan. 2. 7. 12. 3. Ioe. 2. Mich. 4.  
 cap. 3. habes, quæ recognoscas facta in Gallia,  
 & esse, & fieri, quæ hîc dicuntur. pueri sunt  
 principes, mulieres administrant, surgit vir in  
 virum, puer oppressit populû, cædes factæ sunt  
 mulierum, non solum virorum. atque interpre-  
 tatio ostendet hæc propriè dici de Gallia, & de  
 hoc tempore. Quæ in fine 4. capit. nuntiantur,  
 non potes ostendere adhuc perfectæ. Quæ assu-  
 munt Euangelistæ ex 6. cap. de his, qui audiunt,  
 & non intelligunt; vident, & non percipiunt;  
 ait Ioannes cap. 12. 40. Prophetam locutum de  
 Christo, quando vidit gloriam eius, secûdi sci-  
 licet aduentus. Quæ autem ratio sit vt Euange-  
 listæ & Apostoli assumât, quæ sunt secundi ad-  
 uentus Domini in primum; & contrâ Prophete  
 quæ sunt primi in secundum reuocent, docebit  
 interpretatio. Si prophetia habuit sua euenta in  
 primo aduentu Domini perfectæ, quomodo fa-  
 cies tu planum caput septimû, vt ostendas pau-  
 cos annos post natum Christum fuisse eiectum  
 regem Rasim, & filium Rameliæ ex Syria, & Sa-  
 maria. aut dum hæc facta fuerunt in Syria, &  
 Samaria, paulo ante fuisse natum Christum? &  
 quomodo post 65. annos vidit tunc domus Da-  
 uida virginem peperisse, & puerû ex ea natum?  
 hæc & alia non possunt cohære. ac si ad tem-  
 pus, & ad rationem propheticam conuerteris  
 oculos

oculos, cohærebunt omnia, & habebitur plana  
 sententia eorum, quæ narrantur, quæ in fine  
 quoque capitis dicuntur, nondum habuerunt  
 sua euenta. Quid dicemus nato Christo fuisse  
 pacem vbiq; & hîc cap. 8. & 9. narrari bello  
 captas magnas vrbes ab Assirio: atque pugna-  
 tum esse sicut in die Madiam, magna hominum  
 strage, strepitu tumultuoso, volutatione vesti-  
 menti in sanguine? Quomodo fuit principatus  
 super humerum Christi in primo suo aduentu,  
 qui dixit, regnum meum nō est de hoc mundo.  
 Verumtamen multiplicabitur eius principatus  
 pace perpetua allata, & eius regno, quod nulla,  
 habitūrum sit commutationem, & hæc duo nō  
 fuerunt in primo aduentu Christi, nisi referas  
 tu principatum quem humeris gestat Christus  
 ad spiritualem dominatum, quod cum facies,  
 debetis quoque & alia, & ipsam totam histo-  
 riam reuocare ad spiritualia facta. Quæ dein-  
 de dicuntur de Ephraim, & Samaria, de E-  
 phraim, & Manasse, & Iuda, factane sunt tem-  
 pore Christi? aut quando facta, hæc sunt na-  
 tus estne tunc Christus? tūc tempora, & e-  
 uenta adfuerint: atque tenebitur ratio prophe-  
 tica, omnia, vt dixi, cohærebunt. interea dum  
 hæc adhuc non adsunt, aut nondum sunt  
 patefacta verbo Prophetico, cognoscimus  
 Prophetiam non habuisse sua euenta com-  
 pleta. Quomodo interpretaberis decimum  
 Caput, vt quo tempore iudicium Christi  
 perdet scribentes Decreta iniqua, & menda-  
 cia, Assirium quoque euertat, per quem  
 multa

multa bella eodem tempore gesserit Christus ?  
 versu 10. num promittitur populo Dei libera-  
 tio à tyrannis tempore iudicij, & regnum Chri-  
 sti ? num cap. 11. describitur regnum Christi,  
 in quo vigeat iustitia, quando non erunt bel-  
 la: in idem regnum vocabuntur omnes à qua-  
 tuor plagis terræ ? Quod scripsit Paulus de An-  
 tichristo, quem Dominus interficiet spiritu or-  
 ris sui, & illustratione aduētus sui, annum sum-  
 ptum est ex hoc capite ver. 4. num dixit Paulus  
 hoc futurum iu aduentu Domini ? Ergo scribit  
 Isaias hoc caput de secundo aduentu Domini,  
 quando adducetur regnum Christi, iustitiæ, &  
 pacis. cap. 13. repetitur iudicium contra Baby-  
 lonem. & dicitur versu 6. ululate, quia propè  
 est dies Domini, quasi vastitas ab omnipotente  
 veniet. & versu 9. ecce dies Domini veniet cru-  
 delis, & indignationis plenus. & iræ, furorisque  
 ad ponendam terram in solitudinem, ad pecca-  
 tores conterendos ex ea: & visitabo super or-  
 bem terrarum. & quæ sequuntur. bella nunti-  
 antur, cædes, & Babylon perdenda. dicentne  
 vnquam fuisse ista qui negant Prophetas loqui  
 nobis hoc tempore, quando incipiunt hoc fie-  
 ri ? num cap. 14. finis nuntiatur ab oppressio-  
 ne tyrannorum, atque interitus Antichristi ?  
 cap. 15. & 16. & 17. vbi agitur de Moab, Da-  
 maseo, & Ephraim, num dicitur vers. 7. cap. 17.  
 in die illa aspiciet homo ad factorem suum, &  
 non ad altaria opus manuum ? Si dies illa est,  
 quando multitudo populorum sonabit & fre-  
 mitus marium, erit perturbatio illa magna,  
 quomodo

quomodo historia præterita tunc efficietur? aut dies iudicij magni censendus est fuisse tempore Moabi, Damasci, & Samariæ? Quam interpretationem afferes cap. 18. nisi euentus tibi illam dabit? Quæ narrantur cap. 19. & 20. num vides eorum plurima facta in Gallia? & Abbas Ioachimus in interpretatione huius capituli num monuit nos, esse sermonem hunc de regno Galliarum? Quam dices tu cap. 22. vallem visionis, nisi euentus dabit interpretationem? Si de Tyro antiqua est prophetia c. 23. quomodo ostendes tu negotiationes Tyri, ac merces eius sanctificatas fuisse Domino, non repositas, non reconditas, idque post eam euersam, iterumque post 70. annos in priorem statum, & ad priorem mercaturam, & negotiationes reuocatam, ni euenta dabunt interpretationem? Perturbatio illa magna quæ describitur cap. 24. fuitne adhuc visa? mirabilia, quæ Deus cap. 25. dicitur factururus. suntne adhuc visa? Canticum capituli 26. cecineruntne adhuc pij, qui victores fuerint tyrannorum Christo egresso de loco suo puniente iniquitatem illorum? Quis afferet propriam interpretationem. cap. 28. 29. 30. & 31. nisi euentus rerum tradat eam sibi in manus? Regnum Christi, quod describitur cap. 32. iustitiæ, fuitne hæcenus visum, vt fuerit pax perpetua, & tranquillitas, & securitas. vt nunciatur versu. 17. & 18. quod & confirmatur cap. 33. vers. 20. & 22. contra cap. 34. vastatio status impiorum narratur, cui nullum vnquam afferretur remedium, nec restauratio. capit. 35. reassumitur liberatio  
piorum

piorum perpetua, & finis afflictionum. Quæ c. 36. vsque ad 40. narrantur de Ezechia, videant, qui suo iudicio statuunt terminum prophetiæ & in hac historia quid signetur? à 4. cap. & deinceps sunt conciones, in quibus pauca notabimus quæ non completam Prophetiam docent. Ac primum ipso cap. 40. agitur de voce clamante in deserto, quam Euangelistæ tribuunt Iohanni Baptistæ. sed interea quomodo ista vox clamat versu 10. ecce Dominus Deus in fortitudine, seu exercitu venit, & brachium eius dominabitur? & quomodo ait in Matthæo ista vox. cuius ventilabrum in manu ipsius, & mundabit aream suam, & coget triticum suum in horreum, paleam autem comburet igni inextinguibili. quod pertinet ad iudicium futurum? De prophetia in capitibus septem, quæ sequuntur, complectente omnia tempora dictum est ante: sed promissiones, quod perituri sint contententes contra Euangelicos: quod non apparitari in mundo: quod Euangelici afflicti deducendi sunt in statum beatum, nondum est præstitum. Et si referas hæc, & alia similia, quæ ante dicta sunt, ad cœlestia tantum, vide vt omnia verba cohereant. de qua re post dicemus Prætermitto promissiones 42. cap. de omnibus gentibus venturis ad Christum tempore iudicij, prætereo quæ dicuntur de Cyro, & quæ sibi promittuntur ca. 45. prætereo quæ cap. 46. & 47. dicuntur de Babylone quæ in Apocalypsi dicuntur sub ea de Ecclesia Romanâ. cap. 49. salus in toto orbe promittitur pijs: & possessio totius orbis Eccle-  
 sia.

fiæ. quæ nondum sunt præstita. c. 51. & 52. salus  
 sempiterna itidem promittitur, & iudicium. ca.  
 54. Ecclesia hæctenus afflicta. dicitur cōsolatio-  
 nem susceptura facta domina gentium, & quæ  
 non ultra affligetur. cap. 60. gentes omnes ve-  
 niunt in Ecclesiam, & perituræ dicuntur, quæ  
 ei non seruerint. atque erit gloria perpetua Ec-  
 clesie. cap. 61. eadem confirmantur. & cap. 65. &  
 66. tempore iudicij.

*Prophetia in Ieremia non completa.*

Si in primo aduentu Domini completa est  
 prophetia, vbi est interpretatio in hoc Prophe-  
 ta primi capituli ex euentu de verbo demoliente  
 & ædificante: de virga, & de olla, & malo ab  
 aquilone veniente contra Hierusalem? Quæ se-  
 cundo capite narrantur, ad Ecclesiam Romanã  
 refert Abbas Ioachimus, & quod dicitur in fine  
 capituli. ab Ægypto confunderis, quemadmo-  
 dum confusa fuisti ab Assur, ait Abbas in Ægyp-  
 to intelligi ibi Galliam, in Assur Germaniam. vt  
 dicatur. confunderis ô Ecclesia Romana à Gal-  
 lia, quemadmodum ante confusa fuisti à Ger-  
 mania. quod hoc tēpore factum vidimus. Vbi  
 c. 3. agitur de Synagoga, aut de Ecclesia, vt alia  
 prætermittam, de quoniam tempore dicitur ver.  
 16. neque ambulabunt ultra post duritiæ cordis  
 sui mali, hæctenus nimis ambulatum est. Vasti-  
 tatem quæ dicitur cap. 4. & 6. & 8. facta terræ,  
 nondum vidimus, videmus tamen non firmari  
 pacem nunc, vt cupiunt homines, atque illam  
 sibi promittunt. capite 5. nuntiatum est, quod  
 nunc dicunt propè omnes. non est ipse. nec  
 veniet



veniet super nos malum. hoc est. non est Dominus qui perturbationem affert, non est nunc secundus eius aduentus, nō iudicabimur nunc. An num fit nunc illud cap. 7. templum Domini, templum Domini. Ecclesia, Ecclesia clamāt Papistæ, & in Ecclesia comburunt homines, & illam faciunt speluncam latronum? ca. 19. num idem repræhenditur, & nuntiatur pœna, quod comburant contra verbum Dei homines? num idem cap. 32? Quæ verò nuntiantur cap. 25. de solitudine adducenda super vniuersam terram, de puniendis omnibus gentibus, & principibus à domo Dei cœpto iudicio, & hoc peruadente de gente in gentem, ab extremo terræ ad extremum terræ, suntne adhuc peracta? vt quisque audeat dicere, esse cōpletam prophetiam, cap. 30. finis malorum promittitur perditis impijs. idem promittitur cap. 31. vers. 28. perpetuò verò. 40. Idem cap. 32. versu 36. vsque ad finem capituli. Quæ cap. 44. minatus est Ieremias populo Dei cuncti in Ægyptum, an num contingerunt Evangelicis in Gallia? Quæ strages ca. 46. narratur exercitus Pharaonici, & multorum incircuncisorum, vbinam ostenditur facta, vt narratur tota? Vt prætermittam Moabitas, & Amonitas, quorum iudicium narratur cap. 48. & 49. Ioannes in Apocalypsi num indicat nobis quæ narrantur cap. 50. & 51. de Babylone, intelligenda esse de Romana Ecclesia, cum tot loca transfert ex his duobus capitibus iisdem verbis in suum librum, vbi agitur de Babylone?

*Prophetia non completa in Ezechiele.*

Interpretatio primi capituli Ezechielis, & decimi, item ædificationis, & structuræ domus, & templi nundum habetur, quòd Prophetia non adhuc habuerit suum euentum completum. ca. 7. iudiciù Domini pronuntiatur contra Christianos, & gentes omnes. nam ubi dicitur. vers. 20. venit finis supra quatuor angulos terræ. & 3. venit confractio in te, qui habitas terram, dies illa significatur, quæ vt laqueus inuadet omnes, qui habitant superficiem totius terræ. & hæc nundum sunt peracta. Capituli octaui non est propria interpretatio. ergo expectatur euentus. Capite nono narratur cædes Euangelicorum facta Luteriæ, & in Gallia, & nunc tandem videmus eius rei euentum. sed cauet sibi ciuitas illa, quæ dixit, dereliquit Dominus terram, Dominus non videt. cap. 11. versu 16. vsque ad finem capituli affertur promissio adhuc complenda. Quæ de pace dicuntur cap. 13. & dicta sunt ca. 11. & in Ieremia ca. 5. & 14. & 23. vidimus hoc tempore euenta, & videmus. Quæ cap. 20. narrantur, pertinent ad iudicium Domini. vt ex versu 36. licet aduertere. Quæ cap. 21. de iusto, & iniusto interfectis, de gladio educto contra omnem carnem ab austro ad aquilonem dicuntur, non sunt adhuc peracta. In fine capituli 28. est promissio de quiete, & tranquillitate præstanda populo Dei in terris etiam. quod nundum est factum. Dum cap. 30. dicitur. Ululate. dicite. vñ diei, quia propè est dies. propè inquã est dies Domini, dies nubis, & tempus gentium:

E signi-

significatur, quæ narrantur de Ægypto, & ante de Tyro, & alijs locis pertinere ad tempus iudicij Domini. Cædes tot gentium, & principum, quæ narrantur cap. 32. vbinam ostendentur habuisse suum euentum? Promissio cap. 34. estne adhuc præstita, vt pecudes non vltra sint in rapinam? sit pax perpetua? habitetur confidenter? Promissio eadem c. 36. non est adhuc præstita. non dicetur completa prophetia de ossibus assumentibus carnem, ac de mortuis in vitam reuocatis. non de Gog, & Magog. ergo non est completa Prophetia in primo aduentu Domini.

*In Daniele non completa Prophetia.*

Quòd sit Prophetia in somnio Nabucodonosoris, & quòd sit de postremis temporibus, docet Daniel versu 28. secundi capituli. an sit completum post non multos annos apparet. hoc eodem capite regnum Christi nuntiatur semper duraturum deinceps etiam in terris dum mundus durabit. de quo regno idem nuntiatur cap. 7. versu 14. & 27. Quæ autem capite tertio & quarto & quinto & 6. narrantur an sit Prophetia docet interpretatio. cap. 7. est illa quidem: sed non omnino aperta, nisi vbi est sermo de Christo, qui afferet regnum suum. quod dabit sanctis, vt illud obtineant, vsque dum mundus durabit. Visio octaui capituli videtur propè suū habuisse euentum, quem interpretatio aperiet. Quæ ver. 24. noni capituli dicuntur, ostendunt Prophetiam non habuisse suum euentum in primo

mo aduentu Domini completū. Si enim Christus dicitur mortuus hebdomada 62. & perfectis hebdomadibus. 70. debuit habere finē prophetia. ergo finem illū non habuit hebdomada 62. & tēpore primi aduentus Christi. nam post 62. in currente alia hebdomada, in eius medio cessauit iuge sacrificium vsque dum post annos 1290. abominatio desolationis tollatur è loco sancto. quod vt fiat expectamus aduentante Sancto Sanctorum. capite decimo significatur Prophetia finem habitura in nouissimo dictum. vt dicitur versu 14. & quando secundò Christus veniet, vt eius aduentus describitur, versu quinto & sexto: & quando fient illa bella, quæ narrantur [capite vndecimo, quæque nobis euenta interpretabuntur: & quando erit perturbatio illa magna, cuius similis nulla vnquam fuit. nuntiantur autem hæc aperienda in euentis rerum. quæ cum non secuta fuerint, non est completa Prophetia, nec aperta. capite vndecimo bella, & perturbationes multæ narrantur. quæ bella multi etiam ex antiquis ostēderunt euenisse in regibus gentium sine Deo, & cum non potuerunt in historijs gentium simile inuenire, id pertinere dixerunt ad tempus Antichristi. & diuus Hieronymus scripsit patres retulisse multa ad tempus Antichristi, atque eorum fuit sententia: multa euenta esse nobis expectanda earum perturbationum, & bellorum, quæ scripta sunt in Prophetis. vt conspiciantur, quando vehementius Antichristus insultabit contra Christum. atque

ita & sententia patrum probatur, Prophetiam non in primo; sed in secundo aduentu Domini compleri. Et si quæ extra sunt, nihil ad nos, ut ait Paulus: atque Prophetæ loquuntur semper de populo Dei: erit interpretis afferre causas, quare reges sine Christo inducantur in historiam populi Dei.

*In Osea non completa Prophetia.*

Non sunt completa, quæ à vers. 15. secundi capitis vsque ad finem eiusdem capitis narrantur. quia adhuc est Ecclesia, quæ vocatur Babylon. nec adhuc contrita sunt arma bellica in terra. non extat Ecclesia desponsata in iustitia in sempiternum, quæ idem narrantur capite 3. de ablato iuge sacrificio, & alijs rebus nondum sunt restituta. nec dicendum est ea narrari de tempore Iudæorum ante Christum. quia adhuc non venerat Christus. & hinc dicitur dare Ecclesi. 15. argenteos, & hordeum vsque dum redeat peracta via longa, & restituat ablata. ni venisset, non diceretur iturus, & rediturus. ergo est sermo de Christo, qui venerit, & de iuge sacrificio ablato post suum primum aduentum. Et hoc patet ex Daniele capite 9. vbi Christus dicitur passus hebdomada 62. & dimidia hebdomada post cessasse iuge sacrificium. atque 70. hebdomada omnia restituenda. Quæ capite 4. dicuntur de iudicio Domini, aut nunc fiunt, aut futura sunt. vtrum concedes, fateberis huius capitis aut nunc compleri Prophetiam, aut in aliud tempus produci. nam præterito tempore non dices  
perfecta,

perfecta, quæ in hoc capite narrantur.

*In Ioel non completa Prophetia.*

Quæ pariter narrantur cap. 2. Ioelis de die tenebrarum, & caliginis, & vers. 26. de populo Dei, qui non ultra afficietur pudore in seculum, nondum habuerunt suum euentum. nec adhuc vidimus iudicium vallis Iosaphat quod memoratur cap. 3. vers. 2. & ab 11. vsque ad 17.

*In Amoso non completa Prophetia.*

Cap. 1. vers. 2. Dominus dicitur rugere de Sion, vt disperdat habitacula pastorum, & quæ sequuntur. atque cap. 9. idem iudicium exponitur. quod nemo fugiet. percutietur terra, & omnes habitantes in ea. perdentur reges impij, restituentur omnia. Ecclesia Apostolica, regnū Dei, & alia. vers. 12. & deinceps exponitur status futurus, in quo pij possidebunt regna terræ cum magna copia rerum omnium. instaurabuntur quæ vis bellica demolita fuerit, nec ultra labefactabuntur à tyrannis.

*In Abdia non completa Prophetia.*

Vers. 15. dies Domini dicitur esse supra omnes gentes, vt cuique fiat, vt ipse fecit: in Christi regno futura salus. in quo pij iudicabunt impios. & hæc nondum euenerunt.

*In Iona, & in Michea non completa Prophetia.*

Si Christus nõ apperuisset mysterium de Iona, qui fuit in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus, esset illud adhuc occultum. ita sunt alia, quæ aperientur ab eodem Christo de postremis temporibus. quia ait Petrus Prophe-

tas omnes de iisdem temporibus locutos. & interpretatio dabit, vt & Ionas attigerit secundum aduentum Domini; non solum exposuerit primum. In Michea autem cap. 1. versu 2. 3. & 4. nuntiatur iudicium Domini. item ver. 15. quarti capitis. cap. 7. status idem exponitur mundi, qui expositus est ab Osea cap. 4. quando nuntiat adesse secundum aduentum Domini. ca. 4. affert Micheas eadem, quæ Isaias ca. 2. hoc eodem capite quarto versu 9. 11. 12. & 13. nuntiat magna perturbatio futura, & iudicium vallis Iosaphat dictum à Ioële. cap. 5. bella dicuntur cessatura, auferenda maleficia, & Idolatria. quæ omnia adhuc futura sunt. ergo non est completa Prophetia.

*In Naum non completa Prophetia.*

Cap. 1. describitur iudicium Domini futurum, & euertendus status Antichristi persistentibus pijis adhuc in terris.

*In Abacuch non completa Prophetia.*

Cùm Abacuch narrat, quæ aget Christus precipuè in suo secundo aduentu, generatim tamè cap. 3. ait. In ira incessisti super terram, in furore triturasti gentes. Illud iustus ex fide viuere reuocat Paulus ad secundum aduentum ca. 10. vers. 38. Epistolæ ad Heb.

*In Sophonia non completa Prophetia.*

Sophonia quoque cap. 1. describit iudicium Domini. & vers. 14. ait iuxta est dies Domini magnus, & quæ sequuntur. cap. 3. vers. 15. dicitur regnaturus deinceps Christus in suo populo. & hic non visurus yltra malum.

*In Ageo non completa Prophetia.*

Cap. 2. vers. 7. dicitur. Adhuc pusillum, & commouebo cælum, & terram: commouebo omnes gentes. & versu 22. Ego commoturus sum cælum, & terram, & subuertã solium regnorum, & quæ sequuntur. quæ adhuc non sunt peracta.

*In Zacharia non completa Prophetia.*

Zacharias ostendit se loqui de tempore iudicij dum cap. 2. vers. 13. ait. sileat omnis caro à facie Domini, qui surrexit de habitaculo sancto suo. capit. 12. bis dicuntur omnes gentes terræ venturæ contra Hierusalem, & congregandæ. duces Iuda deuoraturi omnes populos vndiq; vt duæ partes succidantur è terra nuntiatur ca. 13. quod nundum visum est. cap. 14. vers. 9. Dominus dicitur rex futurus per vniuersam terrã. vers. 11. excidium non vltra futurum: sed Hierosolymis habitabitur confidenter. quæ adhuc non sunt facta.

*In Malachia non completa Prophetia.*

Cap. 3. vers. 5. iudicium pariter nuntiatur. & cap. 4. repetitur illud. vt non relinquenda sit radix, nec ramus impiorum. pij autem permansuri sint florentes illis depulsis. Et hæc vt fiant adhuc expectamus.

*Probat in nouo Testamento non completa Prophetia.*

Quomodo autem etiam in tota narratione Euãgelica, & in doctrina Apostolica insit prophetia: quemadmodum ait filius Dei in fine 24 capituli Ecclesiastici. Doctrinam adhuc, vt prophetiam effundã, eamque ad omnes seculorum



ætates transmittā: docebit interpretatio, quam Dominus daturus est Ecclesiæ suo tempore. nunc verò quòd sint plurima loca prophetica in Euangelistis, & Apostolis, omnes fatebuntur. vt præter alia cap. 24. Matthæi 13. Marci 17. & 21. Lucæ. vt caput 5. Epistolæ primæ ad Tess. & 2. secundæ. caput primum primæ, & caput tertium secundæ ad Tim. vt secunda Epistola Petri, & quæ est Iudæ. Et quòd quædam habuerint sua euenta, quædã non habuerint, arbitror quoque propè omnes concessuros. quare non videtur opus ista ostendere, quæ omnibus patent. Quòd item liber Apocalypsis sit prophetia atq; non omnia perfecta sint, quæ ibi nuntiata sunt futura, nemo videtur esse, qui sit negaturus præter certos irrisores atheos. Ergo concludendum erit, in omnibus propè diuinis scripturis inesse prophetiam, eamque adhuc non completam.

*Probat, Prophetica multa in Euangelistis,  
& Apostolis sumpta è Prophetis.*

Nunc illud erit quærendum. quæ Prophetica diximus contineri in Matthæo, Marco, Luca, Paulo, Petro, & Iuda, an sint sumpta è Prophetis. nam si erunt sumpta è Prophetis: & si illa sunt de secundo aduentu Domini, & de postremis temporibus: constabit adhuc Prophetas loqui de secundo aduentu Domini, & de postremis temporibus. Quòd sint illa de secundo aduentu Domini, id apparet in ipsa narratione Euangelica, quia quærunt Apostoli à Christo signa sui aduentus, & consummationis seculi.

seculi. atque ad hæc proposita Christus respondit. totaque responsio continet, quæ fient tempore sui aduentus. similiter Paulus, Petrus, & Iudas aiunt se monere de rebus futuris postremis temporibus. Quòd verò sint eadem sumpta ex antiquis Prophetis, id quoque patet. quia id monet Christus, qui ait in Luca oportere illa fieri, vt compleantur, quæ scripta sunt, monent & Apostoli. ait enim Paulus. spiritum manifestè loqui, & Petrus se habere sermonem propheticum. & ibi loquitur de Prophetia scripturæ, quam sancti locuti sunt spiritu Dei. vnde cap. 3. hortatur fideles. vt sint memores eorum, quæ prædicta sunt à sanctis Prophetis. & Iudas pariter ait. se loqui de his, qui iam olim fuerunt descripti: & de quibus vaticinatus est Enoch. Percurramus iam singula, quæ narrantur in Euangelistis, & Apostolis futura, ac ostendamus illa è Prophetis sumpta, seu & ante fuisse denuntiata à Prophetis. Dicuntur in Euangelistis venturi, qui se Christos faciant. hoc cum multis in locis antiquæ scripturæ inuenietur denuntiari quando erunt aperti libri, tum nunc in Malachia cognoscere possumus cap. 3. vbi ait filius Dei. nū quid rapere debet homo, quæ sunt Dei, quòd vos mea rapitis? item. & vos mea rapitis gens tota. & in Ezech. ca. 33. oculos vestros attolitis ad idola vestra, & terram hæreditate possidebitis? item 9. inducuntur falsi Christi dicere. dereliquit Dominus terram. Dominus non videt. & 11. elongate vos à Domino, data est nobis terra in possessionem, & cap. 5. Ieremiæ

*Matth. 24.**Marc. 13.**Luc. 22.*

dicitur. negauerunt Dominum, & dixerunt.  
 non est ipse, neque veniet super nos malum.  
 & capite nono. ait filius Dei, me non nouerunt  
 item. renuerunt cognoscere me. capite deci-  
 mo septimo Ieremias nomine humilium mini-  
 strorum, qui non faciunt se Christos cum mul-  
 tis, ait. non affectaui, vt essem pastor coram te:  
 essem ego iudex, qui afferem calamitatē alijs.  
 tu nosti. hæc mihi videtur esse sententia huius  
 loci. Dicuntur factura bella, & rumores bel-  
 lorum. & id nuntiatum fuit cap. 7. Ezechi. vbi  
 ait. pacem quærent, & non inuenient. contri-  
 tio super contritionem veniet, auditus super  
 auditum. talia & in hoc Propheta, & in alijs  
 passim videri possunt, nuntiata. Dictum est  
 futurum, vt gentes contra gentem surgant, reg-  
 na in regna. quod nuntiatum fuit in Isaia ca-  
 pite 19. in libro 4. Esdr. cap. 15. iisdem propè  
 verbis. cap. 11. Zachariæ ait Deus. Ego traditu-  
 rus sum homines ipsos, quemque in manum  
 proximi sui. de fame, peste, & terræ motibus  
 quæ in Euangelio dicuntur futura; sunt adeo  
 repetita in Prophetis, & futura postremis tem-  
 poribus, vt nemo velit sibi ostendi, qui Pro-  
 phetas semel percusserit. Quòd Euangelici de-  
 buerint affligi, & opprimi, id nuntiatum est in  
 libro 4. Esdr. c. 16. ver. 69. 70. 71. 72. & 73. c. 7. &  
 19. Ieremiæ quòd etiam comburendi. Quòd  
 offendentur multi, alter alterum prodet, odio  
 prosequetur, id nuntiatum est in Michea ca. 7.  
 & Ierem. 9. Multi pseudoprophetae nuntiati  
 sunt futuri cum alibi, tum cap. 23. Ieremiæ. &  
 inde

inde dictum est in Zacharia cap. 13. & Prophe-  
 tas, & spiritum immundum auferam è terra.  
 Iniquitas aucta, & charitas refrigerata nuncia-  
 tur cap. 4. Osee 7. Michæ, & alibi. ac fuit &  
 id denuntiatum, vt quisque carnem proximi sui  
 ederet. Quòd Euangelij prædicatio debuerit  
 innouari, atque simul prædicari opera secundi  
 aduentus Domini, in aperta prophetia patebit,  
 fuisse denuntiatum Psal. 2. vbi dicitur. narra-  
 bo decretum. cap. 6. Isaia, & 1. Ezechielis. &  
 alibi. De abominatione futura, & aperienda  
 in secundo aduentu Domini, ait Christus locus  
 tum Daniele. & in aperta Prophetia in multis  
 locis conspicietur descripta. De fuga futura in  
 magna perturbatione, ac de ipsa magna pertur-  
 batione locutus est Isaia cap. 13. & 24. Ezechi.  
 7. Daniel. 12. Quòd ait Christus de fulgure vi-  
 detur fuisse interpretatus Zacharias cap. 9. versu  
 14. De Sole, Luna, & stellis obscurandis nun-  
 tiauit Isaia cap. 13. vers. 10. Ioel cap. 2. Ezech.  
 32. De filio hominis venturo nuntiauit Isaia.  
 cap. 19. & 63. Daniel. 10. De signo filij homi-  
 nis Balaam c. 14. Num. de sceptro, & virga Chri-  
 sti dictum fuit in Isaia cap. 5. & 11. & 13. Venia-  
 mus iam ad Paulum. quod dixit de pace, in  
 qua futurus esset interitus, num id nuntiauit  
 Ieremias & Ezechiel multis in locis? quod mo-  
 nuit de Antichristo, num sumptum ex capi-  
 te vndecimo Isaia? Quæ scripsit de homini-  
 bus futuris alienis à cultu Christi, num sunt  
 eadem quæ Petrus, & Iudas pariter monue-  
 runt, qui testati sunt sumpta fuisse illa è  
 Pro-

Prophetis? vt in Iane, & Iambra; in falsis Prophetis, qui fuerunt tempore Moſis, & Prophetarum: in Balaam: in filijs Choræ: in Datam, & Abiron: & in alijs, & in malis angelis: in Sodomæis: in Cain fuerint denuntiati mali, & falſi Chriſtiani futuri. hinc monet nos Paulus, ne cupidè agamus, vt patres multi in deſerto. ne ſimus Idolatræ, ne ſcortatoros, ne tentemus Chriſtum, ne murmuremus. Quæ tandem narrantur in Apocalypſi, conſtat plurima ante fuiſſe denuntiata in antiquis Prophetis, vt patet ex 10. & 17. cap. vbi longam narrationem eorum, quæ ſummatim afferret, monet petendam è Prophetis. Si iam Chriſtus, & Apoſtoli nuntiarunt, quæ ſunt poſtremi temporis, & ſecundi aduentus Domini: & hæc ſint ſumpra è Prophetis: ergo Prophetæ locuti ſunt de poſtremis temporibus, & de ſecundo aduentu Domini. Si iam inquam Prophetæ locuti ſunt de ſecundo aduentu Domini: ſi item narrant poſtrema tempora, & ita verum erit illud Petri Actoꝝ. 3. quòd Deus locutus ſit per os omnium ſanctorum ſuorum Prophetarum ab initio de temporibus ſecundi aduentus Domini.

*Fuerunt Prophetæ poſt Apoſtolos vſque ad noſtra tempora.*

Nunc verò ſequitur, vt poſtquam percurramus vetus & nouum Teſtamentum, in quibus oſtendimus Prophetica de primo, & ſecundo aduentu Domini, & de poſtremis temporibus; vt & tempora Eccleſiæ percurramus. quòd Deus  
 etiam

etiam omnibus temporibus Prophetas dedisse cognoscatur. Toto tempore Apostolorum fuerunt Prophetæ in Ecclesia, vt vidimus in Act. Apostolorum, & vt diximus initio, & ostendit Paulus in Epistola prima ad Corint. ministros datos Ecclesiæ variarum facultatum, & munera. & ait datos primū Apostolos, deinde Prophetas. Quia verò futurum erat, vt auferetur iuge sacrificium, & item alia, atque cessaret ipsa prophetia in Ecclesia per aliquod tempus, ecce dedit Deus Apocalypsim. in qua exposita haberent pij, quæ cōsecutura essent deinceps futuris temporibus omnibus in Ecclesia. Scripsit & Hermas, de quo meminit Paulus in Epistola ad Romanos, visiones, pertinentes ad nouissima tempora. quem Hermam recenset diuus Hieronymus inter scriptores Ecclesiasticos, è quo multi scriptorum veterū vsurparint testimonia. exitit deinde Lactantius Firmianus, vt præteream Methodium, cuius vaticinium variè à varijs fuit distractum. qui Lactantius scripsit de iudicio Domini. & quamuis mihi non videatur is venire in numerum Prophetarum, tamen illud præstitit, vt memoremur de iudicio futuro, & de his, quæ futura essent in ipso iudicio. quomodocunque illa diiudicet quæque propè omnes non aduertunt, dum fiunt. atque hæc de Lactantio affero, vt ostendam Patres nō sensisse Prophetiam fuisse completam in primo aduentu Domini. vt in Daniele quoque vidimus. vbi cap. ii. diuus Hieronymus cum factū aliquod eorum, quæ narrantur à Daniele, videt  
nunquam

nunquam extitisse simile, reuocat illud ad tempora Antichristi, quando efficiendum sit. & ait patres idem censuisse, & egisse. Iustinus martyr in dialogo Triphonis Iudæi ait. Quæ reliqua sunt Prophetica, in altero eius aduentu euenient. Tempore Caroli Magni scripsit Rabanus monachus librum Propheticum insignem de magnitudine filij Dei cognoscenda ab omnibus in toto mundo gentibus, in ipsa cruce quæque magna describens. hunc librum circa dimidiam horam permissum mihi fuit intueri: sed in his, qui post prophetica tractauerunt, vidi sæpius citari Rabani prophetiam. Eo autem tempore, quando erexit Papa suum Decretale, ecce Abbas Cyrillus, Abbas Ioachimus nuntiant aduentum Domini instare, inno-uationem Ecclesiæ, & rerum omnium. ad quam quisque nomen Christi gerens se parare debeat. ac generatim afferunt summam eorum, quæ nuntiata fuerant in antiquis Prophetis atque multa singularia aduertunt quoque dum persistunt in contemplatione verbi prophetici sequuntur deinceps semper aliqui qui eadem repetunt, & inculcant: nuntiant, & scribunt, quæ nunc videmus fieri. Theleosphorus quidam collegit in vnum volumen multos ex his, qui post Apostolos nuntiarunt, quæ sunt nostro tempore: & hæc suo certo ordine persequitur ipse. vt prædicationem Euangelicam, persecutionem ob illam, & afflictiones, & cædes Euangelicorum, perturbationes Gallicanas, & cætera bella naualia, & terrestria: quæ sunt

sunt principum Christianorum, & totius populi Christiani: innouationem omnium. Usque ad Hieronymum Sauonarolam fuerunt, qui ista nuntiarunt. ipse autem Sauonarola nuntiavit item ista omnia iam iam futura: Christum scilicet propè adesse. qui nouos excitet prædicatores Euangelicos; qui virga ferrea percutiat, & innouet totum statum populi Christiani. prædicauitque idem pœnitentiam, & innouationem vitæ. vt eius conciones, & quæ scripsit de rebus futuris testantur. Post Sauonarolam extiterunt in Italia eius discipuli, qui eadem prædicarunt vsque dum Lutherus, & alij renouarunt, & instaurarunt prædicationem Euangelicam. bella deinde & perturbationes extiterunt. atque iam iudicium cœptum est à domo Dei, & expectantur alia, quæ denuntiata sunt futura in tota prophetia.

Ecce iam prophetiam, & Prophetas extendi vsq; ad postrema tempora, & ad secundū aduentum Domini, quem illi describūt. sequi videtur nunc vt ostēdatur nos iam ingredi in postrema tempora; adesse secundum aduentū Domini; effici illa, quæ narrantur in Prophetis. Sed antequam ad hæc accedamus, videtur amouenda illa opinio de iudicio Domini, quod futurū sit vno die 24. horarum, seu vt aliqui affirmant, in momento temporis. atque simul demonstrandum est peracto magno iudicio, futurum statū mundi, quem Paulus vocat sabbatismum. in quo cum Christo diu regnabit populus Dei in terris eiectis impijs, & Antichristo.

*Probatur*



*Probatum post iudicium futurum nouus  
status mundi,*

Ea opinio è Papatu manauit in multos, qui dicant, nihil ex Prophetia aliud euenturum, nisi postremum diem mundi, quando in momento temporis, in ictu oculi resurgēt mortui, pij tollentur in cælū, impij detrudentur ad tartara. & ita negant Prophetiam de iudicio futuro, atque aded ipsum iudicium. & hæc opinio inde nata est, quod negligenter, & dormitando lectum fuit verbum Dei, & ad voluptuosam vitam, & ad superbiam vitæ conuersi sunt Ecclesiastici, & alij. dixerunt beatos superbos, vt illis obijcitur capit. 3. Malachia. dixerunt se ita perseueraturos, vt illis obijcit Petrus, vsque ad postremum diem mundi. interea aliquid futurum. confuderunt aduentum Domini in Spiritu, & aduentum in gloria: vt Hebræi confuderunt aduentum primum in carne cum aduentu secundo in spiritu. quia Messias describitur venturis magnis exercitibus, ac magnis operibus bellicis cōstituturus regnum Israëliticum, non attenderunt Hebræi Christum prius debuisse venire in humilitate, vt describitur cap. 42. Isaiæ: passurum, & moriturum, vt narratur cap. 53. eiusdem Isaiæ, & nono Danielis. non attenderunt distinctè fuisse positum primum aduentum à secundo cap. illo 42. Isaiæ. vbi dicitur. priora ecce euenerunt, & noua ego annuntio. prima narrauit Isaias. vbi dicitur. electus meus, n quo sibi complacuit anima mea: dedi spiritum meum super eum: iudicium gentibus proferet,

proferet, & quæ sequuntur. noua verò qua  
nuntiat & narrat Isaias, siue Christus sunt se-  
cundi aduentus, illa videantur, quæ nec primo  
in carne, nec tertio in gloria conuenient ad-  
uentui. capite nono Danielis ponitur quoque  
distinctus duplex aduentus Domini. item in  
Osea cap. 1. & tertio. Similiter distinctus posi-  
tus est aduentus Domini in spiritu, & in gloria  
à Paulo, & Petro. vbi enim in prima Episto. ad  
Tess. ca. 5. loquitur Paulus de die illo Domini,  
qui venturus sit, vt fur. item in secunda cap. 2.  
de Antichristo interficiendo; sermo est de se-  
cundo aduentu Domini in spiritu. qui aduen-  
tus describitur in Prophetis, & capite illo vn-  
decimo Isaiæ, vnde Paulus sumpsit vaticinium  
suum de Antichristo. vbi ea narrantur quæ sunt  
longi temporis, non vnus dici. vbi verò cap. 5.  
primæ ad Corint. ait Paulus in momento, & in  
ictu oculi. & cap. 4. primæ ad Tess. Dominus  
descensurus è cælo, & sanctos rapiendos cum  
eo in aëra: est sermo de aduentu tertio in gloria,  
& de resurrectione mortuorum. Et quoniam  
de hoc triplici aduentu Domini disputatum est  
ab Abbate Ioachimo, & ab alijs, qui post ip-  
sum tractauerunt Prophetica, non plura ego hîc  
dicam. dicam verò illud, qui negant nunc se-  
cundum aduentum Domini in spiritu, atque  
illa effici, quæ narrantur in Prophetis, esse illos,  
qui illud capitis 23. apud Ieremiam dicunt.  
Prophetia Domini non memoretur vltra. Pro-  
phetia Domini sit verbum cuiq; suum. & apud  
Ezechielem cap. 12. prolongabuntur dies pe-

ribit omnis visio. & apud Amosum capite nono, non appropinquabit, neq; veniet super nos malum. Petrus vocat hos irrisores, qui dicant, vbi est promissio aduentus eius? ex quo enim patres nostri dormierunt, omnia sic perseverant ab initio creaturæ. dicunt nullam esse Prophetiam de statu nouo mundi futuro in aduentu Domini. Papatum perseveraturum vsque ad finem mundi, vsque ad vltimum diem. & Petrus ait futurum, vt quemadmodum tempore Noë, aquismersus fuit orbis terrarum; ita igne bellico totus mundus sit innouandus.

*Dies postremus quomodo intelligendus.*

Quod autem dicitur de die postremo in scripturis, ait, tempus esse intelligendum, ne decipiamur cum Papatu. quia dies in scripturis sæpe ponitur pro tempore. qua ratione autem id fiat, erit eius exponere, qui Prophetiam interpretabitur. nunc nos exempla tantum afferemus, quibus patere possit, diem pro tempore sæpe vsurpari in sacris literis, & interdum pro singulari aliquo facto poni, quamuis sit illud aliquando multorum dierum, & annorum. capite quadragesimonono Genesis postrema tempora nuncians Iacob, ait se nunciare, quæ futura sunt in nouissimis diebus. Isaias dum loquitur de iudicio futuro, capite secundo, ait, & erit in nouissimis diebus. deinde quod dixit de diebus, ad vnum diem reuocat. & ait, dies Domini super omnem superbū; in die illa eleuabitur Dominus solus: in die illa proijcet

proijcet homo idola sua. hæc non fiunt vno die vigintiquatuor horarum. Ergo cum eadem narret futura diebus certis, & die, apparet diem poni pro tempore. capite decimotertio, vbi describitur perturbatio illa magna, ait Propheeta, esse diem Domini, vt signetur factum singulare, cuius simile nullum antea fuerit. de quo factio Ieremias 30. 7. quoque ait. Væ quia magnus dies ille, tempusque afflictionis. ecce hîc, quem dixit diem, vocat tempus: vt Daniel quoque capite duodecimo, diem illum, qui tanquam laqueus extendetur, & peruadet, vt ait Christus vniuersam superficiem terræ, ter vocat tempus. Vt verò intelligas tempus iudicij futuri, ait Ieremias capite 23. Ecce dies veniunt dicit Dominus, & suscitabo David: germen iustum, & regnabit rex, & prospere ager, & faciet iudicium, & iustitiam in terra. in diebus illis, saluabitur Iuda, & habitabit confidenter. propterea ecce dies veniunt dicit Dominus. & non dicetur vltra viuit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti, sed viuit Dominus, qui descendere fecit, & adduxit semen Israël de terra aquilonis, & de omnibus terris, ad quas eieci eos, & habitabunt in terra sua. hæc omnia non tribues primo aduentui Domini, nec tertio in gloria. inuenies autem perfici omnia in secundo. Vnde in Ioele vbi est sermo de eodem iudicio, & tempore, dicitur capite tertio, in diebus illis, & in tempore illo. item propè est dies Domini in valle conçonionis. hîc, vt dicebam,

significatur singulare, & omnium maximum  
 factum. ibi alia simul cum hoc facta. & ne om-  
 nia loca persequar. habes libro 1. cap. 9. Esdras.  
 & in Deut. cap. 31. insignia loca, in quibus po-  
 tes videre diem poni pro tempore. atque quæ  
 narrant Prophetæ de illo die, illis diebus, illo  
 tempore, non fient vno die 24. horarum. Vn-  
 de Petrus Actor 3. ait. Oportere Christum cæ-  
 lo capi vsque ad tempora restitutionis omnium.  
 Fuit enim tempus, quando 40. annos prædica-  
 tum est Euangelium, & deinceps, vt restitue-  
 retur iuge sacrificium: fuit, & est longum tem-  
 pus perturbationum Gallicarum, & Germaniæ  
 inferioris, vt restituantur regnum Israëliticum.  
 est longum tempus, quando cœptus est nuntia-  
 ri secundus aduentus Domini, & euenta pro-  
 phetiæ ipsius. vt & doctrina prophetica, quæ  
 fuit in Apostolis, & in alijs restituantur Ecclesię  
 innouatæ. est longum tempus pugnæ verbi, vt  
 restituantur Ecclesia Apostolica. & ita restituan-  
 tur omnia, quæ narrat Paulus 1. Corinth. 12.  
 Quare & in Euangelistis, die, & diebus, & æta-  
 te, & tempore, & temporibus dicitur fieri opus  
 secundi aduentus Domini. In Matthæo cum  
 narrata sunt multa facta, dicitur. & nundum  
 erit finis. vñ prægnantibus illis diebus. de die  
 illo, & hora nemo scit. nõ præteribit hæc ætas.  
 erit tribulatio, qualis non fuit ab initio mundi  
 ad hoc vsque tempus. donec impleantur tem-  
 pora gentium. cap. 17. Lucæ dicitur etiam: illa  
 nocte erunt duo in loco vno. Illa autem om-  
 nia, quæ narrantur ab Euangelistis, dici non  
 potest

Potest fieri vno die, aut vna nocte, ergo pro die in his locis intelligendum est tempus, seu tempora, quibus efficiuntur, quæ narrant Prophetæ & Euangelistæ. Deinde postquam restituta fuerint omnia, quæ Deus locutus est per os sanctorum suorum Prophetarum ab initio; cognoscendus est & ille status regni Israëlitici restituti, & Ecclesiæ innouatæ diu perseueraturus. Abbas Ioachimus in libro Cōcordiæ, dum differit de hac eadem re, ait Augustinum in libro de Ciuitate Dei eadem confirmasse, & scripsisse. neminem scilicet esse mediocriter in sacris literis versatum, qui non intelligat post iudicium futurum tempus. quantum autem illud duraturum sit, neminē esse, qui sciat. qui locus confirmat & hanc sententiam de die posito pro tempore iudicij Domini, & de statu futuro post iudicium peractum contra Papatum, & impios, de quo statu iam dicamus.

*Antichristus, & afflictiones amouebuntur  
etate 7. pace perpetua allata.*

Fuit & ea opinio in pluribus, vt dicebam, & adhuc est, Antichristum duraturum vsque ad finem mundi: atque pios in hoc mundo semper passuros. & quæ scripturæ memorant de terra promissa, in qua beatè viuetur, de liberatione piorum ab afflictionibus, de regno Israëlitico, de restitutione omnium per Christum secundò venturum, de pace perpetua, de futura iustitia, & de alijs: aiunt omnia esse intelligenda de vita futura in cælis. quod & nos minime negamus:

mus: sed dicimus hæc prius futura in terris. ut qui Prophetica tractarunt iam ab Abbate Ioa-  
chimo docuerunt. Nam quæ sunt figura ut sint  
figura, debent prius fuisse. si non fuerint, quo-  
modo erunt figura? percurramus igitur nos lo-  
ca aliquot scripturæ, ut veritas inde pateat.  
capite vigesimo secundo, versu 17. Genesis  
promittit Deus, se effecturum, ut semen A-  
brahæ possideat portas inimicorum suorum.  
per portas intellige dominatum, & ditionem  
in terris. quomodo iam possiderunt filij Dei  
regna terræ, & portas inimicorum suorum, si  
hactenus fuerunt ab inimicis oppressi? quod  
Deus dixit, futurum est tandem. hæc non fuit,  
ergo futurum est. Si dicamus terram Syriacam  
fuisse possessam ab Israëlitis. respondebimus  
illud Pauli Hebræorum tertio. Si Iosue re-  
quiem præstitisset, nequaquam de alio posthac  
die locutus fuisset. nam non fuit diu requies,  
belligerandum propè semper fuit Hebræis cum  
hostibus illius terræ, quam promissam à Deo  
acceperant. at in eo perstant multi, ut opinen-  
tur sermonem fieri de terra cælesti. quòd in cæ-  
lis præstanda sit illa promissio. sed si non ante  
in terris quoque præstabitur, quare meminit  
Paulus de die, & de alio posthac die: non erit  
ista temporis distinctio in cælis. erit ergo sab-  
baticismus, & requies in terris. quod nouerunt,  
qui tenuerunt sententiam primi capitis Gene-  
sis. atque ratio illa Pauli, quod nequaquam de  
alio posthac die locutus fuisset, sumpta est ex  
capite decimotertio Genesis. versu 15. vbi dici-  
tur.

tur. nam omnem terram, quam tu vides, tibi dabo, & semini tuo vsque in seculum. non obtinuerunt Iudæi Syriam vsque in seculum. ergo sermo est de alio die, de sabbatismo, scilicet. Si in stes, in cælo hæc futura tantum, & non in terris. aduerte dici, omnem terram, quam tu vides, dari vsque in seculum. terram ad aquilonem, meridiem, ortum, & occasum. Et capite vigesimo octauo, vt intelligas omnes partes orbis terrarum additur. & benedicentur in te omnes familiae terræ, & in semine tuo. omnes familiae terræ benedictæ, & credentes non continentur sinibus terræ dato populo Dei per Iosuem. ergo omnes partes orbis intelliguntur. quando omnis terra subijcitur regno, & Ecclesiæ Christi. tunc portas possidebunt pij inimicorum suorum. in cælis non possunt possidere portas inimicorum suorum, qui ibi nunquam fuerunt, nec portas, nec quicquam ibi habuerunt. atque vt ait Daniel cap. 7. regnum autem & potestas, & magnitudo regni, quæ est sub toto cælo, dabitur populo sancto altissimi. regnum eius regnum æternum, & omnes potestates ei seruient, & obediunt ei. regnum, quod sit sub toto cælo dicitur dari, non quod supra cælum, & in cælo. atq; omnes potestates seruire & obedire populo Dei intelligi non possunt in cælis; sed in terris. & idem est locus hic de populo Dei, cui seruient, & obediunt omnes potestates, ac ille. & possidebit portas omnium hostium suorum. quod cum nouisset Abraham, petierat à Deo Genesis decimo quinto,



quomodo scire posset, quando hæc possessurus esset. Et Deus respondit quando finem fecerint occidendi inimici impij pios, vt locum illum interpretatur Ieremias cap. 34. vbi arguit reges, qui conciderint vitulū in duas partes, & transferint per eum: & vbi peccata Amoraorū significantur, quibus completis possessurus sit populus Deiterram inimicorum suorum. atque indicatur post Antichristum euersum, & eiectum pios futuros dominos in terris deinceps semper. nam in cælis nunquam regnarunt impij. Ergo fiet tunc illud Moſis cap. 32. 44. Deut. Laudate gentes populum eius, qui sanguinem seruorum suorum vlsiscetur, & vindictam tribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui. nam interpretatio docebit Moſem locutum de Papatu nostri temporis. Sed veniamus ad Psalms, & Prophetas, in quibus planius res exponuntur. Psalmo primo dicuntur non permansuri impij in iudicio, nec peccatores in consilio iustorum iudicium: & conciliū; siue cætus, & congregatio, ac sanctorum hæc communio non intelligitur in cælis tantum; sed & in terris, de qua dicitur in Symbolo. Sanctorum communionem. quæ sanctorum communio ponitur certo ordine ante carnis resurrectionem. atque in cælis non habebuntur concilia. In fine Psalmi 10. num dicitur Deus iudicaturus pupillo, & humili, vt non addat vltra impius, vt conterat hominem è terra? Si hîc loquitur Propheta de terra, etiam ante Psalm. 9. locutus est de terra. vbi dicitur. Sedisti super thronum

thronum, qui iudicas iustitiam. increpasti gentes, perdidisti impium, nomen eorum deleuisti in seculum, & in seculum seculi. & quæ sequantur vsque ad finem. eadem repetuntur in fine Psalmi 18. & in fine 22. Psalmo autem 37. septies nuntiantur impij perdendi è terra, atq; eorum semen: pij eiectis impijs possessuri hereditate terram. Psalmo 72. describitur Christi regnum futurum post eiectum Papatum, & impios: ac perpetua pax nuntiatur futura, & regnatura iustitia. dicitur tunc futurum, vt omnes gentes adorent Christum, seruiant ei. & ne dicas hæc futura in cælis tantum, additur. donec sit luna, quandiu fuerit sol. Psalmo 89. promittitur pariter regnum Christi duraturum in terris, dum luna, & sol erunt. non acturus Deus vt ante, qui bello vastauerit regna populi sui peccantis; sed peccata puniturus non euertendo statum pacatum. Psalmo 92. impij pariter perdendi dicuntur in æternum, pij saluandi. & vt intelligas etiam in terris saluos victuros pios additur. sicut cedrus multiplicabitur. in cælis non vltra multiplicabuntur, non procreabunt liberos additur. multiplicabuntur in senecta, pingues & virides erunt. Psalmo 93. regnum confirmatum Christi ostenditur in terris, vt nulla deinceps futura sit statuum commutatio. & vt intelligas de regno Christi in terris, additur. firmavit orbem terræ, ne se commoueat, vt promissum fuit. additur. in longitudine dierum, quòd in cælis non futura sit enumeratio dierum. Psalmo 96. idem confirmatur. dicite in gentibus,

bus, quia Dominus regnauit, & firmabitur orbis, nec commouebitur, iudicabit populos in iustitia. Psalmo 97. Dominus dicitur regnare. & additur. exultet terra, latentur insulæ multæ, & quæ sequuntur. Psalmo 98. idem regnum describitur in terris. vnde dicitur. iubilato Deo omnis terra, cantate, & exultate, & psallite. iudicabit orbem in iustitia, & populos in æquitate. Psalmo 100. dicitur. Iubilato Deo omnis terra, seruite Domino in lætitia, & quæ sequuntur. vbi pij ingressi in regnum Christi laudant eum, qui præstiterit promissa. Psalmo 101. narrat Christus regnum suum, quod in eo iudicabit ipse iustè, in eo erunt pij ministri eiectis impijs. Psalmo 104. dicitur. deficient peccatores è terra, vt impij, seu iniqui ultra non sint. Et Psalmo 111. dicitur dari populo Dei hæc reditas gentium. cæleste regnum nunquam fuit gentium. Psalmo tandem 112. in terra potens futurum memoratur semen timentium Dominum. qui affluent omnibus bonis. In libro Sapientie cap. 3.8. dicitur de pijs futuris tempore regni Christi. iudicabunt gentes, dominabuntur populis & Dominus in eis in perpetuum regnabit.

Accedamus ad Prophetas. regnum Christi, quod describitur in Isaia capite secundo, erit quando non erunt bella. vt dicitur versu quarto, atque erit illud in terris. quia dicitur. & confluent ad eum omnes gentes: & ibunt populi multi, ac dicent. Venite, & ascendamus ad montem Domini, & quæ sequuntur. Et ne  
in sin

in singulis capitibus immoremur, vt in vndecimo, & in aliis multis, in quibus est promissio, & descriptio regni Christi futuri in terris, perueniamus ad finem. capite sexagesimo, dicuntur omnes gentes venturæ in Ecclesiam, & regnum Christi: & qui non venient, peribunt. & ne dicas hæc in cælis tantummodo futura, additur. ædificabunt alienigenæ muros tuos: & reges eorum ministrabunt tibi: & venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te: atque adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui detrahebant tibi. ponam te in gloriam perpetuam, gaudium in generationem, & generationem: & suges lac gentium. populus autem tuus omnes iusti, in perpetuum hæreditabunt terram. capite sexagesimo primo promittitur liberatio, & beatus status Ecclesiæ & additur, vt eum cognoscas etiam in terris. & ædificabunt deserta à seculo, & ruinas antiquas erigent, & instaurabunt ciuitates desertas. & quæ sequuntur, ostendunt omnia, quæ habituri sumus in terris deinceps semper. quia fœdus perpetuum feriet cum Ecclesia sua Deus. Similiter capite 62. sunt eadem promissiones. ac vt in terris cognoscas, quam habiturus sis. additur. habitabit iuuenis cum virgine, gaudet sponsum super sponsam (in cælis verò non nubunt, vt ait Christus) si dederò triticum tuum ultra cibum inimicis tuis. qui congregabunt, illud comedent. Et capite 65. ædificabunt domos, & habitabunt; plantabunt vineas, & comedent fructum earum. Et capite 66. iubemur latari

latari cum Ecclesia, in qua participes erimus eius bonorum. dicitur enim vt repleamini ab vberibus consolationis eius: vt mulgeatis, & delirijs affluatis ab omni gloria eius. quia hæc dicit Dominus. Ecce ego declinabo super eam quasi fluiuium pacis, & quasi torrentem inundantem gloriam gentium, quam sugetis. gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. & versu 19. dicuntur Christiani saluati ab Antichristo vocaturi omnes gentes in eandem Ecclesiam, & regnum. ac versu 21. dicuntur ex gentibus assumendi in sacerdotes, & Levitas. quæ omnia probant, in terris quoque futurum regnum Christi, & in eo florentes Evangelicos. & hîc rem concludat Deus, qui cap. 37. versu 16. ait non enim in sempiternum litigabo, nec in seculum irascar.

Promissiones in Ieremia in terris pariter antequam deferamur in cælum statuunt pios pace fruituros. & cum exponitur capite præsertim trigesimo iudiciû Dei, & interitus impiorum: vita, & salus promittitur pijs, qui multiplicabuntur, nec minuentur, & erunt filij eius sicut prius, & cætus eius inquit Dominus coram me firmabitur. & visitabo omnes, qui oppresserint illum. & hæc ostendunt Christi regnum huiusmodi in terra futurum. eadem promittuntur cap. 32. versu 37. nos confidenter habituros. versu 40. in sempiternû, quòd daturus sit Deus timorem suum in oculis nostris, vt non recedamus ab ipso, & versu 43. & 44. promittuntur hæc futura in terris, quia in cælis non colemus  
 agros.

agros. In Ezechiele eadem promittuntur cap.  
 34. vers. 22. liberatio nostra à tyrannis. 23. Chri-  
 stus rex noster, in cuius regno habitabimus con-  
 fidenter. 27. & 30. in terris. Item capite 36. vers.  
 28. & habitabitis in terra, quam dedi patribus  
 vestris 30. multiplicabo fructum arborum, &  
 fructum agrorum. idem repetitur capite 37. In  
 Daniele eadem promittuntur, & capite 7. vers.  
 27. cum eiectus fuerit Antichristus, dicitur reg-  
 num, & potestas, & magnitudo regni, quæ est  
 sub toto cælo, dabitur populo sancto altissimi,  
 regnum eius regnum æternum, & omnes reges,  
 seu potestates seruient ei, & obedient. Finis  
 primi, & postremi capituli Osee nuntiat eadem.  
 In fine secundi capituli Ioelis promittuntur ea-  
 dem. & in fine tertij dicitur. Iudæa in æternum  
 habitabitur, & Ierusalem in generationem, &  
 generationem. In fine Amosi versu 11. promit-  
 titur regnum Christi 12. & possessio orbis. 13.  
 beatus status. 14. in terris. vbi plantabimus vi-  
 neas, colemus hortos. tandem versu 15. dicitur.  
 plantabo item eos super terram suam, nec  
 euellentur vltra è terra sua, quam dedi eis. In  
 fine Abdiæ idem Christi regnum promittitur.  
 Ionas capite 2. ait. addam vt respiciam ad tem-  
 plum sanctitatis tuæ, & in fine capituli, salutem  
 esse Domino. In Michea capite 4. versu 7. dum  
 dicitur. regnabit Dominus super eos in monte  
 Sion ex eo tempore, & vsq; in seculum, signifi-  
 catur tempus regni Christi, de quo locutus est  
 Isaias capite 2. quando scilicet erit liberatio po-  
 puli Dei à tyrannis. nec erunt vltra bella. In

Naun capite primo dicitur. non adijciēt ultra;  
 vt pertranseat in te Belial. vniuersus interiit. A-  
 bacuch eadem nuntiat in fine. In Sophonia  
 capite tertio, versu 15. remouit Deus iudicia  
 tua, eiecit inimicum tuum, rex Israēl est in  
 medio tui. non videbis malum ultra. & versu  
 20. tempore illo adducam vos, tempore quo-  
 que illo congregabo vos. dabo enim vos in no-  
 mē & laudem inter omnes populos terræ, cum  
 conuertero captiuitatem vestram dixit Domi-  
 nus. In fine Agai sunt eadem. In Zacharia ca-  
 pite decimoquarto, versu 9. dicitur Dominus  
 futurus rex super vniuersam terram. & in die  
 illa futurus Dominus vnus, & nomen eius  
 vnum. versu 11. excidium piorum non ultra fu-  
 turum; sed habitaturi hi confidenter. In Ma-  
 lachia capite quarto, dicitur Dominus non re-  
 licturus nec radicem, nec ramum impiorum, pij  
 autē permansuri florentes. In Apocal. c. 2. scrip-  
 tum est. tene, quod habes donec veniam. nam  
 qui vicerit, & custodierit vsque ad finem opera  
 mea, dabo illi potestatem super gentes, & reget  
 eas virga ferrea. ca. 3. & 21. dicitur noua Hieru-  
 salem descensura è cælo, afflictio non ultra fu-  
 tura. gentes, quæ saluabuntur ambulabunt ad  
 lucem nouæ Hierusalem: atque reges terræ glo-  
 riam suam, & honorem ad eam deferent, & vt  
 nouum statum futurum in mundo intelligas,  
 additur. & non intrabit in eam aliquid coin-  
 quatum, aut abominationem faciens, & men-  
 dacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.  
 Tandem in Deut. cap. 27. benedictiones affe-  
 runtur

runtur bonorum, & quietis. quæ consecuturi sunt obseruantes præcepta Dei, etiam in terris. ibi enim memorantur vrbes, agri, fructus ventris, terræ, & animantium: labores, operationes, & populi terræ. quod pij futuri sint caput, & non cauda. item maledictiones ponuntur maiorum omnium, quæ in terris solent contingere. ante iudicium mali obtinuerunt bona, boni fuerunt malis oppressi. hæc contra ostenduntur futura in iudicio. ergo & in terris obtinebunt pij bona. Et cū dicuntur in terrenis his consignata esse nobis cælestia, esseq; hæc expectanda nobis maximè, & in primis, id vehementer confirmamus, & credimus. sed quæ figura sunt futura cælestium, debebunt re ipsa, & verè esse. alioquin quomodo quæ non sunt, aut non fuerunt, erunt figura alicuius rei futuræ? Vt verò planiora, quæ diximus fiant, videndū est, vnde manarit error. quia Prophetæ & Apostoli nuntiaverunt, quæ euentura sunt in nouissimis diebus & in consumatione seculi, putarunt homines in nouissimis diebus, & in cōsumatione seculi intelligendū esse finē mundi, quando in nouissima tuba, & in ictu oculi descēdet Christus de cælo, & mortui, qui in Christo sunt resurgēt primi, cū quibus & viuētes rapiētur in cælū. nec aduertunt distinctionem, quam ponit Petrus statuum mūdi in 2. epistola vbi ponit mundū impiorum vsque ad Noë, quando aquis inundatus perijt. ponit deinde seculum sequens vsque ad secundum aduentum Domini. vbi ait. qui verò nunc sunt cæli, & terra eodem verbo repositi seruantur.



seruantur igni in diem iudicij, & perditionis  
 impiorum. tertio loco ait. Sed cælos novos, &  
 terram nouam secundum promissionem expe-  
 ctamus. vbi significatur nouus status futurus  
 mundi post tempus magni iudicij, quando e-  
 rit finis afflictionum ciecctis è mundo impijs.  
 Vbi ergo aiunt Prophetæ, & Apostoli, se nun-  
 tiare futura in nouissimis diebus, & vbi Apo-  
 stoli dicunt. dic nobis signa aduentus tui, &  
 consummationis seculi indicatur finis cælo-  
 rum, & terræ, qui seruati sunt in diem iudicij  
 in secundo aduentu Domini, tunc erit consum-  
 matio seculi, & dies nouissimi seculi scilicet  
 quod fuit post diluuium vsque ad diem iudicij,  
 quando præstabuntur promissa Abrahamo de  
 possessione hæreditaria vniuersæ terræ. post se-  
 quentur cæli noui, & terra noua. de qua Pe-  
 trus, & Isaias meminit, quando erit nouus sta-  
 tus mundi post iudicium, qui describitur cap.  
 65. Isaiæ, & alibi. Ergo in die illo, siue in no-  
 uissimis diebus, & in consummatione seculi in-  
 telligendus est finis seculi cœpti post diluuium  
 vsque ad nouum seculum, quem dixi appella-  
 ri nouos cælos, & terram nouam. Vnde & ad-  
 uentus Domini citius aderit, quàm opinati sint  
 Papistæ, & multi alij. quod & scripserunt, &  
 prædicarunt Apostoli. vnde oriebatur tempo-  
 re Pauli illa opinio, vt putarent multi suo tem-  
 pore futurum aduentum Domini. quare mo-  
 nuit Paulus Tess. ne putarent ita cito futurum  
 aduentum Domini, ne moueantur, vt id cre-  
 dant nec ob sermonem, nec propter epistolam  
 tanquam

tanquam à se scriptam. quia antequàm adsit aduentus Domini futurum sit, vt reueletur Antichristus. scripserunt tamen Apostoli, citius futurum aduentum Christi, quàm putabunt homines. nec ad finem mundi secundum opinionem hominum esse expectandum. vnde inducit Petrus homines nostri temporis ita opinatos dicere. vbi est promissio aduentus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia sic perseuerant ab initio creaturæ. contra ait Petrus, esse promissionem: & Deum non tardare promissa, & promississe cælos novos, & terram nouam post presentes exustos. & quod dicunt de postremo die, ipsos falli, quòd apud Deus dies vnus sit sicut mille anni, & mille anni sicut vnus dies, vt post iudicium peractum ostendat futurum longum tempus. Vbi ergo ait Petrus, Deum non tardare promissa, monet aduentum Domini citius futurum, quàm putarint homines. & ob id in Epistola i. cap. i. hortatur fideles, vt sint parati ad aduentum Domini, dum modicum oportet contristari in varijs tentationibus. ex capite 5. ait. parumper passos. apertius ait Iacobus cap. 5. patientes estote fratres vsque ad aduentum Domini. patientes igitur estote, & confortate corda vestra. quoniam ecce aduentus Domini appropinquat. & Paulus ad Heb. cap. 10. patientia est vobis necessaria. adhuc enim modicum, aliquantulumque qui venturus est veniet & non tardabit. Ergo aduertenda, & distinguenda sunt tempora, & attendenda opera & signa secundi aduentus Domini citò futuri,

ne imparati inueniamur.

*Signa aduentus nunc secundi Domini.*

Postquam ostendimus tempus iudicij esse tempus longum, atque futurum sabbatissimum, in quo regnabunt in terris tantum pij; sequitur, vt redeamus ad illa, quæ restant. vt scilicet contempleremur signa, & euenta, quibus appareat nunc esse aduentus Domini, effici quæ narrantur in Prophetis, & quibus in rebus Christo loquenti nunc in Prophetis nõ parentes Evangelici multis modis ab eo percutiantur. Quod adsit nunc aduentus Domini, probarent illi per doctrinam propheticam, qui tenent ordinem temporum mundi, illorum distinctionem, & progressum: tenent quænam in singulis ætatibus esse, & fieri debuerunt. vt cum ostendissent quæ ætates, & tempora. quæ opera & actiones præterissent, & extitissent ad hoc vsque tempus; ostenderent necessariò oportere sequi nunc secundum aduentum Domini. verbi causa cum quædam prima facta sint omnia, debebunt succedi ac fieri omnia, quæ in secundum locum venerint. & cum prima omnia, & secunda omnia facta sint, debebunt necessariò subsequi, quæ tertio loco debuerunt necessariò esse omnibus primis, & omnibus secundis elapsis, & transactis: ac vt hoc ponas tibi ante oculos, contemplantur tu noctu corpus cæli, & in eo stellas orientes, ascendentes, descendentes, & occidentes. si nouisti ordinem stellarum in cælo, quando vidisti vnã oriri, nouisti aliam, quæ deinde oriri debeat. & ita deinceps. vt volente se corpore

pore cælesti stellæ in eo, quo ordine sunt sitæ, ita necessario apparere debeant. Ecclesiasticus, & Esdras libro quarto, & quidam ex alijs Prophetis mensurant ita nobis tempora, & opera Domini. vt demonstrent nobis tempus secundi aduentus Domini. Verùm tu ita nihil probabis, nisi apud eum, qui tempora mundi teneat, & singulorum temporum opera, vt tenuit Moses, Prophetæ, & Apostoli, vt Patriarchas præteream. hinc dicebat Petrus. 2. Episto. capite 2. habemus firmissimum Propheticum sermonem. Quia verò hæc adhuc nõ sunt reuelata toti Ecclesiæ, ex his non possumus necessarijs argumentis ratiocinari: quod fiet in aperta Prophetia: quando ministri verbi ostendent ordinem temporum, atque rerum futurarum in mundo descriptum in Mose, & Prophetis ab initio. atq; secundum eum ordinem omnia tempora, & opera, & facta fuisse cõsecuta. Ratio alia potest requiri, vt ostendatur adesse nunc secundus aduentus Domini. vt scilicet diligenter singula cõprobentur euenta earum rerum, quas vidimus hoc nostro tempore postquam cœptum est prædicari Euangelium, suis certis in locis fuisse à Prophetis denuntiata. primùm vt notaretur totum tempus à prædicatione Lutheri vsq; ad bellum Gallicanum. distinctio huius temporis, & locorum, in quibus progressus suos fecit prædicatio: cõtentiones, & disputationes, quæ extiterunt: cedes, ac persecutiones Euangelicorum: bellum Caroli V. in Germania cõtra Euangelicos dictos tunc protestantes. deinde vt totum bellum Gallicanum, & Belgicum ostendatur in Prophetis: cõcilia Trid.

& coniurationes Papistarum contra Euangelicos. ostendatur quomodo Papæ à Leone decimo, quando cœpta est prædicatio, Antichristicè se gesserint. essent in his non prætermittenda acta Euangelicorum, & errata ob cōtemptum verbi Prophetici. Verum quoniam volunt homines omnia sibi probari: atque hæc vt superiora non possunt probari nisi ex vniuersa ratione, qua Prophetica sunt exposita, & tractata in omni diuina scriptura: atque hæc vniuersa ratio non potest ostendi nisi in ipsa interpretatione prophetica totius diuinæ scripturæ: quiaque statuit Deus, vt monet nos in Ieremia cap. 23. & 30. ac in 4. Esdr. capit. 6. omnia se patefacturum toti Ecclesiæ, quando percussus fuerit Papatus, & eiectus; non afferemus hîc diligentem disputationem de his rebus: sed simplici quodam modo tradito à Christo, & à Prophetis pro ratione huiusce temporis nostri tenebris inuoluti excitabimus animaduersionem hominum, vt attendant, & videant esse nunc secundum aduentum Domini. Dicamus igitur quemque debuisse ex lectione sacra attendisse Deum in Mose, & Prophetis prædixisse omnes status, & commutationes futuras in sua Ecclesia, & ea, quæ in his fieri debuerunt. vt monemur in Isaia à cap. 40. vsque ad 49. Et si minus alibi, in Daniele tamen cap. 9. status à Christo vsque ad hæc tempora potuit aduerti. vbi dicuntur decisa septuaginta hebdomadæ ad finiendam visionem, & prophetiam. Christus dicitur passus hebdomada 62, ergo in primo aduentu Domini non  
cessauit

cessauit visio, & prophetia. denuntiatur enim post passum Christum, & post 62. hebdomadas cessaturum iuge sacrificium: futuram abominationem desolationis. cum autem peruenietur ad hebdomadam 70. tunc restituito iuge sacrificio, amota abominatione è loco sancto, futurum, vt compleatur prophetia. Cum autem videamus hoc tempore restitui cultum Evangelicum, & amoueri è populo Christiano abominationem Papalem, quæ se in inquisitione aperit, debemus attendere illa perfici, quæ denuntiata sunt de postremis temporibus, & de aduentu Domini. præsertim verò si annos 1290. Danielis, siue 1260. Apocalypsis numeres ab ortu Papatus vsq; ad hæc tempora. Idem dicendum est de tertio cap. Osee. vbi denuntiatur fuit desitutum iuge sacrificium, & restituendum in secundo aduentu Domini. nec dicendum est illud vaticinium Osee pertinere ad Hebræos tantum. quia maritus Ecclesiæ, non dat Ecclesiæ. 15. argenteos, chorum hordei, & dimidium chorum hordei, vt ante diximus, nisi fuerit natus, creuerit, & duxerit Ecclesiam sibi vxorem. Itaque vt post mortem Christi dicitur in Daniele cessasse iuge sacrificium, similiter hîc in Osea intelligendum est. Idem intellige ex eo, quod monuit Petrus Act. 3. oportere Christum celo capi vsque ad tempora restitutionis omnium. ergo cum iam restitutum sit iuge sacrificium; amoueat abominatio, illa agantur, per quæ restituatur regnum Israëliticum, quiuis qui non negligenter legat, facile potest

aduertere; esse nunc secundum aduentum Domini, & illa agi, quæ Deus locutus est per os sanctorum suorum Prophetarum ab initio. nam si Prophetæ locuti sunt de temporibus restitutionis omnium, & nunc sunt tempora illa, quibus restituuntur omnia, ergo loquuntur Prophetæ de nostris temporibus. item si dum restituuntur omnia adest Christus loquens, & agens omnia: ergo est nunc secundus aduentus Domini. nam si Christus cælo capitur vsque ad tempora restitutionis omnium; ergo dum restituuntur omnia adest. Et si iuge sacrificium non restituitur, nisi in aduentu Christi, & illud nunc restituitur, est ergo nunc secundus aduentus Domini. atque quæ aguntur, & dicuntur in illo, & in alijs rebus restituendis, sunt illa, quæ Deus locutus est per os omnium sanctorum suorum Prophetarum, & eadem loquitur nunc nobis. hæc ita sunt aperta, vt nulla alia demonstratio querenda videatur, quin sit nunc aduentus Domini, & illa agantur, quæ narrant prophetæ. verum tamen contemplemur adhuc monita, & signa alia, quæ data sunt nobis. vt hæc cognoscamus in diuino verbo. sed prius notetur incuria hominum rerum diuinarum. Dicitur in Amoso Deus non facere magnum opus, ni reuelet illud seruis suis Prophetis. Ab Abbate Ioachimo, & Cyrillo, vt præteream superiora tempora, perpetuò fuerunt Prophetæ in Ecclesia, qui ista omnia, quæ hoc tempore fiunt, nuntiarunt ex antiquis Prophetis nunc futura: scriptis, & picturis mandarunt, & proposuerunt nobis,

Hierony.

Hieronymus Sauonarola fuit Elias hæc ostendens iam iam futura. Antequàm Lutherus inciperet renouare prædicationé Euangelicam fuerunt impressi libri horum nouorum prophetarum. præter ceteros fuit impressus liber Theleophori. qui hos novos Prophetas siue quæ isti tractarunt collegit in vnum volumen. in cuius initio sunt Epistolæ, seu Præfationes duorum virorum. qui probant per certa signa propè adesse secundum aduentum Domini. & hi nondum viderant primam contentionem Lutheri cum Papatu, nec alia, quorum nos pars sumus. Si hos viros & superiores, qui satis aperta omnia nuntiarunt, non attendimus, quomodo obscuriora aduertemus in antiquis Prophetis, & in Euangelio? si quidem est obscuritas in his, quæ nuntiat Christus. inde fit, vt non inuigilemus in lectione Prophetica, ne tùm quidem, dũ sumus moniti, Deum nunc nobis loqui in Prophetis. Ac vt iam ad signa, & monita Prophetarum, Christi, & Apostolorum veniamus, & illa breui perstringamus. Quoniam non possunt omnes per doctrinam certam, & statutum ordinem temporum in scripturis sanctis cognoscere aduentum Domini, dedit Deus quædam signa de primo, & secundo eius aduëtu, ne quisquam de ignoratione excusationé habeat. signa de primo aduëtu data sunt illa in Prophetis, quæ narrat Christus capite vndecimo Matthæi, cæci vident, claudi ambulant, leprosi mandantur, surdi audiunt, mortui resurgunt pauperes euangelizantur. iccirco Iudæi



signum quærebant à Christo cap. 12. Matthæi,  
 & quia habuerunt signa, & noluerunt credere,  
 ita id illis exprobrabat Christus, Matth. 16. fa-  
 ciem cæli dijudicare nostis, signa autem tempo-  
 rum non potestis? Ut verò de primo aduentu  
 data sunt signa, ita multo plura data sunt de se-  
 cundo. Vnde Apostoli quæsierunt signa de se-  
 cundo c. 24. Mat. idq; nostra causa factum est.  
 Quare iam videamus multa signa data nobis,  
 ut sciamus Christum nobis adesse. quando vn-  
 quam maioribus exactiõibus fuerunt expilati  
 populi à tyrannis, quàm nunc excoriantur? hoc  
 primum signum datur 4. Eisd. 5. quod in Mich.  
 cap. 2. & 3. exponitur. comedunt carnem popu-  
 li, & pellem ab eis detrahunt, ossa quoque illo-  
 rum confringunt, & quæ sequuntur. hîc enu-  
 merare quis posset omnia genera exactiõnum,  
 quibus tyranni expoliant populos. pro domo,  
 pro camino, pro capite, pro vino, pro farina, pro  
 prædio, pro iugere, pro alijs innumeris. ut nihil  
 edas, nihil bibas, nihil habeas, & possideas, quin  
 singulis momentis emas à tyranno. longum ef-  
 set nimium, si singula exponerentur. quia ho-  
 mines viderunt, & experti sunt, satis erit breui-  
 ter attingere quamq; rem. Hæc sunt signa tem-  
 poris iudicij Domini. 4. Eisd. Appræhendentur,  
 qui inhabitant terram in censu multo. abscon-  
 detur veritatis via, sterilis erit à fide regio, mul-  
 tiplicabitur iniustitia, & incontinentia super  
 terram: amici se ipsos expugnabunt, & abscon-  
 detur sensus, & intellectus: populi commoue-  
 buntur, statuum erit confusio, locorum vasti-  
 tas:

tas: erunt sectæ & hæreses, & discordiæ. videantur reliqua in 4. Esd. cap. 5. & 6. & 15. & 16. In Osea cap. 4. ait Dominus in suo secundo aduentu, nulla est veritas, nulla misericordia, nulla cognitio Dei in terra: sed peierari, mentiri, occidere, furari, adulterari: exleges sunt homines, miscent cædes: sacerdos scientiam spreuit, oblitus est legis Dei, & quæ sequuntur. In Michea cap. 7. periit misericordia è terra, & rectus inter homines non est, vniuersi sanguini insidiantur, quisque fratrem suum venatur reti. malum, quod possunt, agunt. princeps aufert, iudex iudicat propter retributionem, magnus loquitur perditionem animæ suæ, & corroborat illam. optimus eorum est vt paliurus. ne credas amico, ne fidas fratri: ab ea, quæ dormit in sinu tuo custodi ostia oris tui. filius vituperat patrem, filia insurgit in matrem suam, nurus in socrum suam, inimici viri domestici eius. Ieremias quaeritur cap. 9. de populo suo, quod vniuersi sint adulteri, cætus præuicatorum. iaculari fecerunt linguam suam, veluti arcum mendacium: neque in veritate roborauerunt se in terra. de malo ad malum egressi sunt. & me non nouerunt dixit Dominus, scilicet iam adesse quisque ab amico suo caute, neque omni fratri fidatis. omnis frater supplantando supplantabit, omnis amicus fraudulenter incedet. quisque amicum suum circumueniunt, & veritatem non loquuntur: docuerunt linguam suam loqui mendacium: student vt malè agant: habitatio tua est in medio doli. prædolo renuerunt cognoscere me,

dixit Dominus. sagitta extensa lingua eorum,  
 dolum loquitur: ore suo pacem cum amico lo-  
 quuntur, & in corde suo ponunt insidias suas.  
 Hæc sunt signa temporis aduentus Domini. &  
 quamuis similia vitia fuerint præteritis tempo-  
 ribus, tamen ita magna, ita omnia simul, ita  
 passim vbique nunquam fuerunt. considera  
 singula per se, exactiones per se, perfidiam per  
 se, iniustitiam, odium, fraudes, & reliqua. con-  
 fer cum omnibus ætatibus, nil deterius inue-  
 nies hac nostra ætate. Vnde data hæc, quæ me-  
 moravi, & similia, sunt. vt signa nobis essent  
 temporis iudicij Domini. De signis alijs, quæ  
 data sunt à Christo capite 24. Matthæi, & alibi.  
 atque à Paulo, Petro, & Iuda, dictum est ante,  
 vbi ostendimus fuisse illa sumpta è Prophetis.  
 nunc verò dicamus præter illa vitia huius æta-  
 tis, quæ memoravi signa temporis iudicij Do-  
 mini; fuisse animaduertendum, quando per  
 Lutherum cœpta est innouari prædicatio Euan-  
 gelica, insurrexissent tunc hæreses multas, & mul-  
 tos, qui se Christos, & capita aliorum facerent;  
 fuisse bella, opiniones, & rumores bellorum, &  
 hæc propter causam religionis. vnde in Gallia  
 surrexit gens in gentem, regnum aduersus reg-  
 num: fuisse famem, pestem, & terremotus. fuisse  
 persecutionem Evangelicorum & per magistra-  
 tum inquitorem, & per bella, quantam vidi-  
 mus, & videmus. quòd magna sit inter homi-  
 nes offensio propter religionem, quàm acerba  
 odia, quæ prodiones & priuatorum, & regum,  
 vt similia nunquam audita sint, videmus. dum  
 sunt

sunt bella, quot hæretici insurgant, quãta multitudo coeat Arrianorum, Anabaptistarum, & aliorum: & quãtisperli pariter sint vbique videmus. quãtã modica charitas etiam inter eiusdem veritatis professores omnes prædicant, & boni dolent iniustitia, & perfidia ad postremum gradum peruenerūt. Quanta sit defectio à veritate in multis, quãtã multi defessi sustinendo disciplinam Domini, & labores, & difficultates, quas tẽpora afferunt, non perseuerent esse cum Christo, difficile est dictu. Hæc omnia signa aduentus Domini ita sunt euentu ipso facta nobis perspicua, vt de illo nemo dubitare debeat, sed in prædicatione Euangelij innouata est maximum signum: quòd debuerit illa in aduentu Domini promulgari. Cũ iam Euangelium prædicetur, & audiatur per vniuersas terras, certum esse debet, adesse aduentu Domini. Cætera signa, quæ à Christo, & à Prophetis sunt data, visuri sumus deinceps. Cũ viderimus signa data à Paulo de aduentu Domini, quòd deinde futura esset defectio, seu discessio prius & patefaciendus Antichristus: atq; illa extiterit quãdo cœpta fuit prædicatio à Luthero, & sit hic iã patefactus etiam apud ipsum Papam, & Ecclesiam Romanam, in concilio secundo Tridentino, vt alibi docebimus: necesse est, vt sit aduentus Domini. Signum aliud dedit Paulus. qui dixit, diem Domini venturum sicut fur. ac cum dicent, pax, pax, tunc repentinus futurus sit interitus dormientibus, edentibus, bibentibus: quod factu est Lutetiæ, & in Gallia  
alibi.

alibi. ex hoc signo cognoscitur nunc aduentus Domini. Petrus & Iudas arguunt eos, qui negant nunc adesse aduentum Domini, & vocant eos irrisores. ibi Petrus 2. epist. cap. 3. indicat esse aduentum Domini, cum Ecclesia, & status populi Dei innouabitur. affert Petrus verba eorum, qui negant nunc aduentum Domini. Dicunt enim vbi est promissio aduentus eius? nam ex quo patres dormierunt, omnia ita perseverant ab initio. aiunt propè omnes nunc, iudicium futurum postremo die mundi. & tunc tantummodo Christum venturum. nec esse promissionem de Christo venturo ante finem mundi. atq; eundem statum mundi futurum vsq; ad finem mundi, qui antè fuit. contra ait Petrus. quemadmodum tempore Noë innundauit Deus mundum per diluuium, ita nunc innouaturus est per ignem. vt sit cælum nouum, & terra noua, quod per cælum, & terram intelligendus sit status mundi, apperuit nobis Petrus ipse dum statum mundi temporis Noë vocauit cælos, terram, & aquam, & mundum. & ita Prophetæ sapè vocant statum populorum cælum, & terram. vt Agæus ca. 2. versu 7. & 8. item 22. & 23. & quod dicunt Papistæ, & alij de die iudicij, quod sit dies postremus mundi, ait Petrus per diem intelligendum esse tempus, & ætatem. vnde ait. apud Deum vnum diem esse veluti mille anni; & mille anni sicut vnus dies. de qua re ante dictum est. Ex hac admonitione Petri debet quisque cognoscere adesse aduentum Domini, quando fit restitutio Euangelij, & regni Israëliti. Accedamus

mus iam ad Prophetas. Bella, & petturbationes Gallicanas potuimus aduertisse in Isaia cap. 19. vbi vir pugnavit in fratrem suum, & in amicum suum, ciuitas in ciuitatem, & regnum cōtra regnum. & si per nos non potuimus aduertere, moniti fuimus ante ab Abbate Ioachimo Prophetam eo capite loqui de Gallia. & cū dicitur. ascendit Dominus super nubem leuem, debuimus cognouisse significari nobis præsentiam Christi. monuit idem Abbas Ioachimus, Ieremiam in fine secundi capituli. vbi ait. confunderis ab Ægypto, quemadmodum confusa es ab Assur: in Ægypto signasse Galliam, & in Assur Germaniam, in Hierusalem Ecclesiam Romanam. Vnde cū vidimus confusam Ecclesiam Romanam à Gallia, quemadmodum fuit ante cōfusa à Germania, debuisse nouisse Christum loqui nunc nobis in Prophetis. Vidimus tres reges à Deo interfectos modico temporis spatio in Gallia. Henricum, Franciscum, & Nauareum. potuimus aduertere perfectum esse, quod in Zacharia cap. 11. dictum fuit. tres pastores occidi vno mense. vidimus, quod in eodem capite dicitur de ouibus, quæ in carceribus pascebantur ab Henrico ad occisionem. Cū audiuerimus tam sæpè vsurpari illud toties repetitum à Prophetis. pax, non pax, & toties fuerit illa violata, & tandem euenerit, quod nuntiavit Paulus. Cū dicent, pax. tunc repentinus aderit interitus. & quod Ieremias cap. 23. dicunt pax erit vobis. & turbo Domini cum furore egreditur. Cū vidimus cædem Gallicanam,

nam debuimus aduertisse illud Petri. & iudiciū  
 incipiet à domo Dei. illud Ieremiæ cap. 23. Ecce  
 in ciuitate, in qua inuocatum est nomen meum,  
 ego incipio affligere, & vos (Papistæ) immunes  
 eritis? illud item Ieremiæ ca. 44. Quare facitis  
 malum hoc contra animas vestras: vt excidatis  
 ex vobis virum, & mulierem, paruulum, & la-  
 ctantem? illud Isaïæ cap. 5. extendit manum suā  
 super populum suum, & percussit eum, & facta  
 sunt morticina eorum sicuti stercus in medio  
 platearum. & illud 3. cap. opprimetur populus,  
 vir in virum. item pueri dominabuntur eis,  
 vers. 4. & 12. illud Ezechiel. capite 9. senes ad-  
 lescentes, virgines, paruulos, & mulieres occi-  
 dite, & à sanctuario meo incipite. illud 4. Esd. c.  
 15. populus meus sicut grex ductus est ad occi-  
 sionem. Et vt prætereamus sermonem hunc de  
 Gallia, & contēplemur Belgicam, vbi est eadem  
 propter eandē causā perturbatio: multa in hac  
 pronincia hætenus sunt acta descripta in Pro-  
 phetis. quæ quia adhuc nō possunt probari vul-  
 go esse scripta in Prophetis, non cōmemorabi-  
 mus singula: vnū, & alterū, quæ facilius aduertī  
 possunt, proponam contēplandū, iuramentū  
 iuratum Papæ, & Ecclesiæ Romanæ, siue dica-  
 mus Catholicæ Romanæ, vt in scitia certorum  
 hominum magis aperiatur, vt prætereā impie-  
 tatem. Pius quartus, & Pius quintus emisertunt  
 suas formas iuramenti, quæ volarunt per popu-  
 lum Christianum, vt sibi iurarent omnes, & Ec-  
 clesiæ Romanæ illa quæ soli Deo sunt iuranda.  
 vt patet in Ieremia capite quinto, vbi quæritur  
 Deus

Deus de his, qui iurarunt in eos, qui non sunt  
 Dij. quòd in his, quæ pertinent ad religionem  
 soli Deo sit iurandum. vt idem patet capite pri-  
 mo, Sophoniæ, vbi arguuntur, qui adorantes  
 iurant in regem suum. Carta iam illa, siue li-  
 bellus in quo continebatur forma iuramenti,  
 vocatur capite quinto Zachariæ volumen vo-  
 lans, propter quod venit maledictio, quòd per-  
 dendi sint hi, in quos iuratur, quique dicuntur  
 fures sibi vendicantes id, quod est solius Dei:  
 perdendi sint iurantes, qui mentiantur se iura-  
 re in Deum, quando in alium iurent. vnde  
 malè defendunt, se non esse erga Deum periur-  
 ros, quando dicunt se non minus iurare in  
 Deum, & retinere eius cultum, quando iu-  
 rant in Papam, & retinent eius cultum, quia hîc  
 à Deo ipso dicuntur mentiri, & falsum iu-  
 rare; quòd non possunt in his, quæ Dei sunt,  
 alteri, quàm Deo iurare. vt antè diximus, id  
 reprehendi à Deo capite primo Sophoniæ.  
 quod & capite quarto, & quinto, & duodecim  
 mo Jeremiæ reprehenditur. pœnam verò mi-  
 natur Deus capite 13. Jeremiæ, vt præter clades,  
 quas afferet per exercitus, effecturus sit quoque  
 vt mutuo se conficiant, & perdant tanquã ebrij.  
 & id vidimus euenisse in Belgica post iuramen-  
 tum publicum iuratû Ecclesiæ Catholicæ Ro-  
 manæ. eadem minatur Deus in Sophonia, vbi  
 cognosceretur tandè locutus Germaniæ inferiori  
 potissimû. in apertis libris patebit quoq; Idolû  
 zeli, de quo agitur c.8. Ezech. esse Missam, quæ  
 vbi erit, erit causâ dissidij, & belli: icè tortâ panis  
 de qua



de qua narratur cap. 7. Iudicium esse Missant, propter quam diruuntur tabernacula, perduntur publici status, & priuatorum: item vitulum aureum esse panem, qui in tabernaculis aureis adoratur, propter quem fiunt caedes Christianorum à Christianis. pœna quidem videtur, & sentitur, sed non aduertitur, quare illa immittatur. verum cum perseveret, & fiant ea iuramenta, quæ non possunt negari contra Deum esse iurata: quæ soli Deo, non regi, nõ cuiquam hominum possunt iurari; magnum est argumentum Prophetas loqui de his temporibus, quando iuramentum, quod iuratur tantummodo Deo, iuratur quoque passim hominibus: atque pœna tanti errati sentitur, & diu sustinetur. Quæ dicta sunt de Missa, & de malis, quæ affert, possunt pariter cognosci in Prophetis. Et hæc satis sint, vt ostendantur narrata in Prophetis pertinere ad hæc tempora: expositio deinde dabitur Prophetiæ, vbi & causæ certæ cognoscentur Prophetiæ complendæ hoc tempore. Interea debemus continere nos in lectione prophetica, vt errata cognoscamus, eaque vitantes vitemus & pœnas: cognoscamus adesse iudicium, quod vidimus cœptum à domo Domini: illud Ezechielis ca. 3. & 33. sit semper positum nobis ante oculos. Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur, & si impius auerterit se ab impietate, & peccato suo, feceritque iudicium, & iustitiam, vita viuet. paremus tandem nos ad illa, quæ promittuntur, & parantur futura deinceps.

## IACOBI BROCARDI

## LIBER SECVNDVS AD

## HEBRÆOS DE PRIMO ET

*secundo aduentu Messia.*

**M**IRVM est homines ita cupiditate duci ad id, quod sibi bonū proposuerunt, vt alia quæcunq; siue meliora fuerint, siue deteriora necessariò ad futura audire nolint. hinc homines hominibus mala, quæ iam aduenerunt, & sustinenda omninò sunt, non libenter nuntiant. Nil planius, nil apertius videtur potuisse esse expositum, quàm primus, & secundus aduentus Domini; atque opera vtriusque distinctè admodum fuerunt descripta, & enarrata: tamen Hebræi oculos, & mentem à primo auerterunt, atque ad secundum tantum respexerunt, refugientes, quæ fuerunt primi, afflictiones; & amplectentes solum bonum, quod proponebatur in secundo. Distinctè quidem ponit Isaias ca. 42. aduentū Christi primum in humilitate, & secundum in opere virgæ ferreæ. & Daniel capit. 9. ponit mortem Christi antè euerisionem Hierosolymæ hebdomada sexagesima secunda. septuagesima autem futurum, vt vngatur sanctus sanctorum: item. Isaias. cap. 53. narrat Messiam post mortem peruenturam ad regnum. item Oseas cap. 1. initio ponit eius mortem, in fine capituli eius diem magnum futurum. & cap. 3. describitur Messias

H

venisse,

venisse, qui promittat se rediturum, vt instaureret, & restituat regnum Israëliticum. vbi apparet ante quàm restituatur regnum Israëliticum, debuisse venisse Messiam, & multos dies præterisse ante quàm rediret, & restitueret regnum, in nouissimo scilicet dierum. Opera deinde primi aduentus vt fuerunt descripta à Prophetis, ita euenerunt omnia. Veruntamen auertunt oculos Hebræi, ac quæ luce clariora sunt, respiciunt intueri: laborant verò, ac in eo sudant, vt rationes inueniant, quibus, si fieri posset, tegant errata sua multiplicia. Contra eorum rationes quædam disputabo. vbi simul agam de primo, & secundo aduentu: deque vtriusque operibus inter se distinctis. quorum quæ sunt primi aduentus visa sunt omnia: quæ autem sunt secundi, iam conspiciantur.

Cùm multa præter rem afferant Hebræi ad errorem tuendum, ad tria præcipua tantum respondebo: quibus confutatis reliqua corruent. Dicunt Christum fuisse Prophetam illū, quem memorat Moses c. 18. 20. Deut. superbè acturū, ac locuturum. atq; iccirco rectè à se fuisse cruci affixum Christum nostrum. Dicunt Iesum Nazarenum pependisse in ligno: ergo non fuisse in ipso benedictionē; sed fuisse ipsum maledictum: dicunt Messiam restitutum regnum Israëliticum: Christum illud non restituisse, ergo non fuisse Messiam. Hæc præter alia inculcant Hebræi, dum non attendunt, se esse extra populum Dei vocatis in Dei regnum gentibus se expertes misericordiæ promissæ perpetuò futuræ

erga

erga Israëlem : tandiu nullum verbum ad se factum : tandiu se fuisse sine visione, sine Prophetis, sine regno, sine publico cultu. Et quamuis multi ante ad ipsos multa scripserint; tamen hoc tempore adhuc videntur monendi, dum illa fiunt quæ scripta sunt in Prophetis perficienda à Christo nostro in restitutione regni Israëlitiçi, ac veri sacrificij, & cultus. Quamobrem de his rebus, quæ proposuimus quædam dicemus, quibus ostendamus adesse tempus, vt tandem aduertant Hebræi sua errata, dū fiunt, quæ ipsi expectant perficienda per Messiam: vt tandem peccatum patrum suorum, & suum fateantur. quod iubentur capite 26. Leuitici facere : restituanturque in Dei populum, quemadmodum sibi in fine illius capituli est promissum. cap. 18. Deuteronomij promittitur verus Propheta Christus, atq; nuntiatur alius falsus futurus. & hîc quæri posset, vter prior futurus esset, verusne, an falsus: sed prius agamus de comparatione eorum inter se, post de tempore videbimus. nunc detur nobis Christum verum Prophetam prius aduenisse. quia antequam Christus esset, non videretur opponi sibi contrarius. Ex tota diuina scriptura posset quis quærere, quisnam sit verus Propheta, & quisnam falsus: seu Christus, & Antichristus: quandoquidem vterque passim in ea est descriptus. Verum nunc contenti erimus illa regula, quæ eodem capite 18. datur distinguendi Christum à falso Propheta. ait ibi Deus falsum Prophetam locuturum, quæ ipse non præcepit: & quæ non fient, nec euenient.

Sed cum affirmamus nos Christum esse verum  
 Prophetam, qui prior venerit, videretur querens-  
 dum quisnam sit falsus. nunc siue tu dicas Mau-  
 metum, siue Papam, qui post Christum fuerunt,  
 recte vtrunque dixeris. ac vt nunc de Papa aga-  
 mus sedente in templo Dei tanquam sit Deus,  
 is loquitur in nomine Deorum alienorum: le-  
 gibus tyrannorum, & suis vult populum viuere:  
 cogit homines ad Idololatriam: docet sua, &  
 non Dei verbum: nuntiauit se perperuò futurum  
 summum Pontificem in Ecclesia Dei vsq; dum  
 mundus durabit. quod conspicitur iam falsum.  
 nec eius doctrina, & potestate saluantur ho-  
 mines, vt sanciuit ipse. Falsus apparebit & Mau-  
 metus post regnum Israëliticum restitutum. sed hos  
 relinquentes videamus de Christo. ait Deus.  
 ponam verba mea in ore eius, & loquetur om-  
 nia, quæ præcepero ei, vnde & Christus ait. mea  
 doctrina non est mea; sed eius, qui misit me. at-  
 que sæpè repetit, se missum à Deo; ac se quæ Pa-  
 tris sunt loqui. verum hinc inculcat Hebraeus. tu  
 de te ipso testaris. ergo probandum est testimo-  
 nio Patris, qui dat verba sua in ore Christi. ait  
 Pater. quando loquetur Propheta in nomine  
 Domini, & non extiterit res illa, neque euene-  
 rit, est verbum, quod non locutus est Domi-  
 nus. ergo qui loquetur, quæ extiterint, & euene-  
 rint, erit is, qui locutus sit in nomine Domini.  
 Quod autem extiterit, quod locutus sit Chri-  
 stus de eius Euangelio; quod euenerint quæ  
 nuntiauit de sua morte, & resurrectione: de spi-  
 ritu Sancto mittendo: de gentibus credituris  
 cogendis

cogendis in suam Ecclesiam : de Hierosolymis evertendis : de Hebræis non credentibus eijciendis ex eorum statu ; hæc ita patent , vt nemo hominum negare possit. mitto multa alia. Ita verò nunc comprobantur , quæ cap. 24. Matth. & 13. Marci , & 21. Lucæ nuntiauit futura signa sui secundi aduentus : de multis Christis , de falsis Prophetis , de rumoribus bellicis , de seditionibus , de commotionibus gentium contra gentes , regnorum contra regna , ciuitatum contra ciuitates , propinquorum cōtra propinquos : de persecutionibus , de cædibus credentiū prædicationi Euangelicæ : de odio in quo ijdem credentes sunt apud Papistas ; de proditiōibus , de charitate imminuta inter homines , de abominatione nuntiata à Daniele nunc cœpta patēferi : de que multis alijs rebus , quorum magnam partem vidimus , & reliqua instare omnes vident. Hæc omnia vocauit Christus Euangeliū regni : atque nunc perficienda nuntiauit in vniuerso mundo in testimonium omnibus gentibus. quibus verbis significatur Christus & hîc quoque velle ostendere se nobis verum Prophetam : quando omnia , quæ nuntiauit de secundo eius aduentu , viderimus perfecta. vnde & omnes gentes cogentur illum suscipere suum seruatorem.

Præterea vbi dixit Deus. ponam verba mea in ore eius , & loquetur in nomine meo , significatur , quæ mysteria consignata sunt in promissionibus , & in vniuersa lege , omnia per Christum fuisse aperienda. Vnde Euangeliū Christi,

& doctrina Apostolorum continent veritatem  
 umbrarum legis: atque loquuntur ipsi, quæ sunt  
 spiritus Dei, & quæ voluit Deus esse significata  
 in lege. hinc illud Dauidis. tunc suscipies sacri-  
 ficium iustitiæ. atque hæc suo tempore vberius  
 exponentur. Et eum indicantur extare, ac euen-  
 tum habitura, quæ loquetur Propheta à Deo  
 missus, significatur Euangelium Christi perse-  
 ueraturum, esse æternum, omninò futura salus,  
 quæ in illo promittitur. atque huius rei sit præ-  
 ter cætera illud argumentum. quòd Euangeliũ,  
 vt Euangelium est quoque Prophetia. Vt enim  
 narrat historia Euangelica res gestas primi ad-  
 uentus Domini, in quas reuocantur promissa  
 Abrahamo, siue etiam Adamo; ita narrat futu-  
 ra secundi, quæ nunc euenire videmus; assu-  
 mitque tempora, in quibus præstabuntur om-  
 nia promissa. Atque hinc vult Deus fieri quo-  
 que manifestum veram esse doctrinam Christi,  
 & à se datam. qui regulam videtur dedisse, vt  
 vbi affertur doctrina de lege, & Euangelio,  
 in qua coniuncta sit veritas Prophetiæ, eam do-  
 ctrinam cognoscamus veram. Vnde doctrina  
 vera conspicitur in Prophetis. atque Dei Pro-  
 phetia cognoscitur in doctrina Dei. hinc Pro-  
 phetæ nuntiantes vera, doctrinam quoque  
 verbi Dei tradiderunt. Et Moses doctrinam  
 verbi Dei tradens, Prophetiam simul propo-  
 suit. Hæc duo fuerunt eximia in Christo. fuit  
 ergo eximius Propheta. Apostoli Euangelium  
 prædicantes, Prophetica quoque tenuerunt.  
 hinc videmus in omnibus sacris voluminibus  
 hæc

hæc duo fuisse coniuncta. si iam fuerunt coniuncta in omnibus factis voluminibus, maximè conspiciuntur in libris Evangelicis. vbi simul Christus doctrinam tradit, & nuntiat futura. Atque hoc inde fit, quòd omnis diuina scriptura, quam Deus dictauit suis sanctis Prophetis, continet prophetiam. & in rebus præteritis, & præsentibus narrantur futura. quod patebit, quando aperientur libri. atque in narratione Evangelica videbuntur illa assumpta primi aduentus Dominici, in quibus exponerentur, vt dixi, quæ fuerunt futura secundi multo post; quemadmodum Moysi narratio inuenitur continere historiam rerum futurarum. Similiter Propheta in præteritis, & præsentibus descripserunt futura. atque in Apostolis, quæ ratio sit Prophetiæ in doctrina, quam tradunt præter loca illa, in quibus dicunt se narrare futura, tempus apertæ Prophetiæ patefaciet. Et hæc sunt, quæ significantur in verbis illis. quando loquitur Propheta in nomine Domini, & extiterit res illa, atque euenerit. vt verbum Christi verbum Dei verum ostendatur in his, quæ docuit, & simul nuntiauit futura.

Ergo verus Propheta apparet Christus per eius doctrinam, quæ sit Dei, in qua continetur Prophetia vera. Quòd autem euenerint quæ locutus sit Christus, id verò patet ex euentis præteritis: ex his quæ hoc tempore fiunt, atque quæ nunc instant futura, intra paucos annos afferent propè omnia



rerum denuntiarum euenta; nisi quatenus vsque ad finem mundi extenditur Prophetia. Ea verò est causa, quòd Christus inculcabat illud discipulis. antè prædixi vobis, vt cum factum fuerit, credatis. vt scilicet reuocaret Hebræos ad hunc locum Moïsis, vbi verbum Christi verbum Dei significatur; Et hæc dicta sint de testimonio Dei, quòd est in cap. 18. Deuteronomij de Christo. Antequam verò alia testimonia prosequar, videntur Hebræi hinc monendi, cum dixit Deus se positurum verba sua in ore Messia, & in suo nomine hunc locuturum, nouum verbum præter promissionum, legis, & Prophetarum, debuisse se expectare. & iccirco vana esse illa argumenta, quam afferunt contra Euangelium: quòd lex in cunctis partibus sit absoluta perfectione omnis generis, nec opus fuisse alio nouo verbo Dei. hæc & similia refutantur, dum præter legem, & Prophetas, vult Deus audiri Messiam quoque. Et quod vrgent non esse parabolas, & ænigmata in lege, vt negent quæ sunt in lege mysteria de Christo, eos dicimus id facere, vt taceantur propositum, quando contra Christum loquuntur. nam aliàs cum sibi videtur, solent magnificare mysteria. Quia iam ita agunt, non disputabo de his, quæ sint signa, & quæ signata in scripturis: & quod hæc sint æterna, illa non æterna: & qua ratione secundum tempora, & secundum verbum Dei nouum distinguenda; tantum ostendam confirmari diuino verbo parabolas, & ænigmata esse in lege, ne putent se in ea re nos illudere,

qui se ipsos illudunt. Ait Salomon Prouerb. 1. se scripſiſſe parabolas ad intelligendum parabolas ſapientum, & ænigmata eorum. ſapientes ſunt ſcriptores diuinorum voluminum. in parabolis autem duplex ineſt ſententia, vna quæ ſtatim percipitur, altera quæ in illa ſignificatur. Ergo in Parabolis Salomonis, & in alijs ſacris authoribus præter eam, quæ eſt in litera, alia ſententia aperti myſterij requiritur, aut euentus Prophetiæ. Vnde cap. 30. & 31. parabola & ænigmata, quæ afferuntur, vocantur prophetia. hinc Eccleſiaſticus cap. 29. ait. Qui ad legem altiſſimi applicauit animum, atque in meditatione eius verſatur, ſapientiam omnium antiquorum exquiret; & in Prophetis ſtudium, operamque ſuam ponet: diſputationes conſeruabit celebrium virorum; atque in ſententiarum reconditarum inuolucra penetrabit: occultas prouerbiorum ſententias conquiret, atque in ænigmatibus parabolarum verſabitur. Pſalmus 78. continet parabolas, & ænigmata; ſimulque oſtendit in Moſe contineri parabolas & ænigmata. aſſertur enim in eo Pſalmo hiſtoria populi Dei deſcripta à Moſe: quam appellat parabolas, & ænigmata de rebus futuris. quæ quidem ait Dauid ſe accepiffe à patribus narranda poſteris. Eccleſiaſticus confirmat tempora mundi fuiſſe paterfacta Moſi. quod Moſes confirmat capite 4. Deut. inquiring. interroga de diebus antiquis, &c. Et cap. 32. Memento dierum ſeculi, intellige annos generationis. non requirit Moſes in alijs; quod in ſe non inſit. ergo Moſes tenuit

futura, & illa descripsit. ad quæ conspicienda reuocat alios. Si iam Moses est Propheta, & nuntiat futura, & narrat tãtummodo historiam sui temporis; ergo historiam sui temporis est quoque historia rerum futurarum. Si Prophetæ narrant futura, & tempora iudicij futuri postremis diebus, vt singuli proponunt in suis vaticinijs, ergo per ea, quæ fuerunt sui temporis, & per parabolas, & ænigmata illa exponunt. Hinc Iacob cap. 49. Gen. factum Simeonis, & Leui factum Ruben assumit, vt in his ostendat futura. parabolas, & ænigmata affert in alijs filijs, in quibus significat futura. possum probare Hebræis, & Christianis in primo cap. Genesis significari alia præter creationem mundi. in his, quæ restant illius libri possum probare Christianis significari alia futura præter ea, quæ narrantur. Psalmus ille 78. ostendit, vt dixi, totam historiam Gedeonis esse parabolam, & ænigmata ad significanda futura. Et si Prophetæ assumunt sæpius eadem, vt signent ipsi quoque futura, ergo & ipsi ænigmaticè, & parabolicè loquuntur. Vnde Ieremias capite 20. & Ezechiel. 20. loquentes præsentibus, & posteris, assumunt præteritatem temporis Moïsis. & cap. 17. Ezech. ait ei Deus. ænigmaticè loquere ænigma. & parabolicè loquere. Nec videtur opus esse singula colligere præteritæ historiæ, & quæ parabolicè, & ænigmaticè dicuntur, dum narrantur futura postremi temporis. necesse est enim vt in præteritis, & in præsentibus descripta sint futura, & in illis alia sint significata. His ita positis, vt

mysteria

mysteria de Christo in lege possint intelligi recognoscenda, redeamus ad Christum, qui locutus sit verba, quæ posuit Pater in ore eius, & ad testimonia de ipso.

Est præterea de Christo vero Propheta, & Messia, testimonium Ioannis Baptistæ, qui fuit Elias, & qui in Prophetis fuit promissus præiturus Christo. testatur autem Ioannes Baptista de Christo inquitens. Qui supernè venit, qui è cælo venit, supra omnes est. & quod vidit, & audiuit, hoc testatur. & quæ sequuntur.

Præterea non defuit verbum Dei in generationem, & generationem. vt dicitur Psalm. 77. apud Hebræos defecit verbum. ergo sunt ipsi extra Israël. Si saperent Hebræi, vt putant se sapere, scirent tempora mundi: scirent generationes mundi, vt monentur in hoc Psalmo 77. se illas considerare debuisse: atque cognoscerent certis ætatibus mundi Deum verbum suum debuisse facere suo populo, nec sibi fuisse factum. atque iam à tempore Prophetarum se nõ habere nouum à Deo verbum. idem monentur in Deuteronomio capite trigelimossecundo. vbi dicitur. memento dierum seculi: intellige annos generationis, & generationis. item capite 4. interroga nunc de diebus antiquis, qui fuerunt ante te à die qua creauit Deus hominem super terram, ab extremo cæli ad extremum cæli. Vt ad ipsos non est factum verbum, ita inuenitur factum apud eos, qui in eorum locum ingressi sunt: ad gætes scilicet. Ac si Deus promissus misurum Prophetam, in quo poneret verba sua: isque

is que loqueretur omnia, quæ sibi Pater mandasset: necesse est, ut aliquando fuerit venturus. Cùm autem illius aduentum nuntiarint Prophetæ: necesse est post Prophetas illum debuisse mitti: atque nouum Dei verbum per illum debuisse fieri populo Dei. Cùm autem à tempore Prophetarum vsque ad nostrum tempus plures generationes præterierint, in quibus non habuerunt Dei verbum Hebræi, quatenus non crediderunt Christo, plures generationes inueniuntur præterisse, in quibus fuerunt sine Dei verbo, debuerunt autem habuisse illud adhuc secundum numerum hebdomadarum positum à Daniele per Christum, quem occiderunt, nec verò post vsque ad hoc tempus habuerunt nouum Dei verbum. de quo tempore post dicemus. Si iam non deficit misericordia, non deficit verbum in generationem, & generationem: nec aliud verbum factum fuit præter Euangelium, & Apostolicum: siue etiam dicamus propheticum, & hoc apud credentes Christo (nam nullum dicere factum, & misericordiam desisse erga Israëlem, est contra verbum Dei, & eius promissiones) necesse est verbum Christi & Apostolorum esse verbum Dei, & denuntiatum per Moysen: atque Christum esse verum Prophetam. Et hæc quidem noscent Hebræi, si tenerent, ut monuit Moyses, dies seculi; & verbum Dei factum in generationem, & generationem. de quibus diebus seculi, & generationibus, & verbo Dei in his facto, non est nunc dicendi locus, tum quia hæc patere debent ex interpretatione

tione totius simul diuinae scripturae; tum quia  
 id fieri debet in constituto, siue in constitu-  
 endo regno Israëlitico. Interea quicumque cu-  
 pit habere harum rerum exemplar, intueatur  
 sententiam mysticam in Mosæ fabricæ mundi:  
 siue fodiat, vt Hebræis loquar, sibi puteos Ha-  
 braham, Isaac, & Iacob, vt mysteria hauriat  
 promissionum, quæ factæ fuerunt ad hos Pa-  
 triarchas. siue contempletur columnam nubis,  
 in qua videat præterita, præsentia, & futura se-  
 cula. siue circumspectat, inspiciat extra, & intus  
 totum tabernaculum: saltem candelabrum to-  
 tum cum singulis suis minutis partibus. siue  
 Aaronem ornatum suo sacerdotali amictu per-  
 lustret à capite ad pedes vsque. siue videat quæ-  
 nam sibi in Vrim, & Thumin cognoscenda pro-  
 ponuntur. siue conuertat animum ad talia; in  
 quibus generationes conspiciuntur, & verbum  
 Dei, & opera Dei in Ecclesia. Qui Hebræi sci-  
 entiam magnam ponunt in illis suis decem enu-  
 merationibus, quas vocant Sefhirot, intuean-  
 tur in his circulos, seu orbiculos; inspiciant  
 profundè tanquam in altis puteis: canaliæque à  
 puteo ad puteum perlustrent: & scient tempo-  
 ra seculi, generationesque & generationes, vi-  
 debunt ab extremo cæli ad extremum cæli: vi-  
 debunt tempus & opus Christi, & tempora,  
 quæ consecuta, & consecutura sunt: atque mag-  
 no lumine intuebuntur præterita. Si tu Hebrææ  
 intelligis, quæ dico, benè est. sin minus, ecce  
 rem tibi ob oculos pono. à summo creatore du-  
 ctus es per Cocma, & Bina, per Sapientiam, &

intelli-

intelligentiam ex aquis paradisi in ordinem, & locum septem inferiorum Sefhirot. Cùm perductus es ex his septem ad quartum, in quem confluere debuerunt omnes credentes; gentes multæ ingressæ sunt, & tu perfidia effluxisti è canalibus aquarum seminis Abrahæ in aquas alienas ductas per cœnum infidelium. nec per quintum Sefhirot, nec per sextum horum septem confluxisti cum semine Abrahæ, vt promissiones, & verbum Dei, & eius opus in te haberes. Tandem nunc fit apparatus apertionis Melchuth. vt prodientes aquæ è superioribus canalibus, & puteis, & quæ circum vndique temere feruntur, concurrant per fidem in Melchuth. ad cuius ingressum nunc vocantur & Hebræi, & gentes omnes. si hæc non intelligis, deprehenderis tandem nihil in tua Cabala intellexisse.

Vt verò ad Prophetam verum Christum redeam, si contemplati fuissent, quæ hîc recensui Hebræi, & alia similia in factis authoribus, vidissent misericordiam Dei, opus Dei, & verbum Dei tempore Christi: vidissent Messiam debuisse eo tempore venire, quo venit: ac prius debuisse mitti verum Prophetam, quàm veniret falsus, & Antichristus. vt etiam memoratus est capite illo decimo octauo Deuteronomij prius verus Propheta, deinde falsus, quod quidem patet ex capite nono Danielis. vbi prius Christus memoratur mortuus, deinde Hierosolymæ euersæ, deinde abominatio adducta per falsum Prophetam Antichristum. patet & capite tertio Osee, vbi Messias comparata sibi

vxore quindecim argenteis, & mensura hor-  
dæi, it longum viam. & interea per Antichri-  
stum desijt sacrificium. Ex his omnibus patet  
Christum non falsum; sed verum Prophetam,  
& Messiam fuisse. Vnde non possunt Hebræi  
dicere Christum falsum Prophetam, quin res-  
puant regulam à Deo datam; constituent se ex-  
tra Israël. de qua re adhuc dicturi sumus.

Præterea quoniam præstãtia doctrinæ, & mi-  
racula, & testimonia magnam vim afferunt ad  
personam demonstrandam veri Prophetæ; pos-  
sem disputare de doctrina Christi dicta irre-  
prehensibili, & quæ sit eadem cum doctrina  
Mosis. in eo differat, quòd hæc multa certis  
quibusdam figuris proponat, illa veritatem re-  
rum signatarum offerat. In Mose spiritus requi-  
ratur ad agendum, & cognoscendum; qui da-  
tus prædicatur in Evangelio. in Mose videaris  
natus Deo, ac ad eius obedientiam: in Euan-  
gelio formatus Dei filius in imitatione Christi, ac  
charitate; & si quæ sunt alia. Ea est vis spiritus,  
& perfectio in doctrina Evangelica, vt qui nul-  
lis rationibus adduci potuerunt ad suscipien-  
dum Christum ingenio, ac doctrina præstantes  
quidam Philosophi, lecta doctrina Pauli ex-  
clamarint, non esse illa verba hominis: non  
Platonem, non quemuis similem talia fuisse lo-  
cutum: esse illa supra hominem: necessariò  
esse ibi Dei spiritum. & hoc non contingit  
in his, qui legunt Mosem. Vnde tot mag-  
ni Philosophi complexi sunt Christum, & fue-  
runt doctores in Ecclesia.

Miracula



Miracula autem, quibus confirmata est doctrina Christi & Apostolorum, non est, ut recenseantur, quanta, & quam magna fuerint: quæ historia docet. nec fuerunt edita in locis desertis; sed in luce hominum, & ubi dominabatur impiorum Romanum: non in vno tantum populo Hebræo; sed & in alijs aliarum nationum beneficium Christi extitit insigne testibus Hebræis, & gentibus. Quæ miracula si quis Hebræus neget, adducet gentes, ut multò minus credant Mofi, si verò credendum est Mofi, multò magis credendum erit Christo. in cuius morte sol obscuratus induxit gentes longinquas, ut dicerent, aut Deum pati, aut mundum ruiturum. Qui iam in disiunctis regionibus cognouerunt in morte Christi solem obscuratum, idque factum contra omnem naturæ legem, Christum Dei filium amplexi sunt Iudæos iudicaturi non credentes. Testimonia de Christo non persequar ducto initio à Magis memorando Simeonem, Annam Prophetissam, Ioannem Baptistam, Apostolos duodecim, & septuaginta duos: viros alios, & mulieres, qui fuerunt testes omnium, quæ gessit Christus: & qui cum Apostolis acceperunt spiritum Sanctum. non persequar eos, qui hos audierunt. quorum infinitus est numerus, si spectes Hebræos, & gentes alias Asiæ, Affricæ, & Europæ. non enumerabo doctores, qui orti sunt iam ab Apostolis, ut pudere debeat quemque Hebræum, ferre conspectum hominum intelligentium. tantum dico, quæ Christus nuntiavit futura de eius secundo

Secundo aduentu cap. 24. Matth. & 13. Marci, & 21. Lucae, nunc conspici habere suum euentum: item quæ nuntiarunt Apostoli, vt ante dicebam in quibus quidem ita confirmatur verus Propheta Christus, vt falsi omnino appareant Hebræi quicumq; negauerunt Christum. Et si sibi visum est potuisse negare Christum Messiam; & quæ ipse, & Apostoli egerunt, docuerunt, & nuntiarunt: negare inquam hæc contra testimonia scripturarum, & Hebræorum aliorum, & gentium, qui crediderunt hæcenus Christo, quomodo negabunt eadē, quando apertis libris conspicient Mosē, & Prophetas narrasse, & distinxisse ætates, & quæ in his acta sunt apud populum Christianum ab aduētū primo Christi vsque ad secundum? & quidem iam possunt eadem hæc videre in Apocalypsi. Testimonium tandem nouorum Prophetarum apud Christianos, qui fuerunt iam à 400. annis plurimi vsq; ad hæc tempora, arguent Hebræos. Illi enim partim interpretando antiquos Prophetas, & alias diuinas scripturas; partim acceptis visionibus, & monitis nuntiarunt futura in secundo aduentū Domini. illa inquam, quæ hæcenus vidimus iam à 60. annis, & quæ instant perficienda vsque dum adducatur regnum Israëliticum. tantarum rerum, & tot virotū prædictiones non eludent Hebræi. quas gentes in toto orbe perspectis euentis comprobaturæ sunt veras. Hæc pauca videntur restare dicenda de vero, & falso Propheta, vt omninò Christus uenisse, & uerus Propheta fuisse ostendatur. Quando

capite decimooctauo Deuteronomij: Messias dicitur venturus, nuntiatur & falsus adfuturus. Si iam Christus fuit falsus Propheta, ergo prius adfuit verus, nam verus debuit antecessisse, atque falsus cognosci ex collatione cum vero, vt Deus ostendit, & iubet, non possunt autem Hebræi ostendere alium verum ante fuisse, aut eodem tempore, quo fuit Christus, aut post cum adhuc verum expectent. Et si velint, falsum antecessisse, ostendant post 1580. annos se verum vidisse. Et si non ostendant verum, quomodo ex collatione cognoscetur falsus? si non collatione ostendent, ergo contra iudicabunt de falso, quàm Deus præcepit. Dicendumne erit præterea Deum siuisse populum suum sine suo verbo, sine opere, sine Propheta, sine statu? hoc erit contrarium diuino verbo, vt ante ostensum est. Quòd verò postremis temporibus debuerit patet fieri falsus Propheta Antichristus, atq; tempore iudicij eius, patet cum alibi, tum in Isaia capite vndecimo, vbi ait de Messia veniente contra falsum Prophetam, percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium. Et hinc patet, si falsus Propheta debuit interfici à vero, & Christus fuit falsus Propheta, Christum à vero Propheta debuisse interfici, quod non est factum, ergo Christus non fuit falsus Propheta, ergo ante verum non fuit cognitus falsus Propheta. Quando iam verus interficiet impium, apparebit tunc, non Christus in eius primo aduentu; sed Antichristus in secundo Christi aduentu superbe fuisse locutus

se locutus, superbè egisse. Quòd item in primò aduentu fuerit verus Propheta Christus, inde constat, quia qui eum non audierunt, dederunt pœnas quas Deus minatus est. ergo tum fuit, & antecessit verus Propheta Christus.

Quòd verò pependerit in ligno Christus: atque dicatur in Deuter. execrabilis, qui pepedit in ligno; non iccirco dicendus est Christus falsus Propheta & alijs indignis nominibus appellandus, quibus vocatur ab eius crucifixoribus, nam ita oportuit expiationem peccatorũ fieri. quæ non fit sine sanguine, vt patet in Mose. Si autem putamus eandem fieri sanguine animalium, perpetuò oportuit extitisse sacrificia animalium. quæ tamè post Christũ cessarunt apud omnes etiam nationes. Et quòd ita futurũ esset in populo Dei, docet diuina scriptura. vt Ps. 39. sacrificium & oblationem noluisti. & quæ sequuntur exposita in epistola Pauli ad Heb. c. 10. Ergo in animalibus signabatur Christus. quæ ratio autem fuerit, & quòd Christus nõ antè passus fuerit, & quare in animalibus fuerit significata expiatio, aperietur cum mysteria, & Prophetia in Mose fuerit patefacta. Ergo quæ pro peccato mactabatur victima, signabat Christum futurum victimam pro peccatis omnium credentium. Vnde & super lignum serpens æneus suspensus fuit in deserto, in quem intuentes Israëlitaꝝ icti à serpentibus, sanabantur. ita nos icti à serpente ad interitum, atque facti ob peccatum per serpentem maledictum, locum nostrũ subiit Christus, & pepedit in ligno.

vt suscepta in se maledictione nostra sanemur  
 nos à mortali vulnere, & cum eo viuamus, nam  
 quod factum fuit in serpente illo tunc, reuoca-  
 ri debuit ad omnia alia tempora, quæ conse-  
 quebantur, & quæ antecesserant. Sunt enim  
 perpetua quæ præcipit Deus. vt de sanguine, &  
 adipe non edendo; & de agno non coquendo  
 in lacte matris. Et quamuis figura aboleatur, res  
 tamen signata perpetuò manet. nam quæ Pater  
 tradidit certis signis, & figuris, vult per Filium  
 illa exponi. quod factum est tẽpore quo Chri-  
 stus prædicauit Euangelium Christo, & Apo-  
 stolis veritatem docentibus eorum, quæ figuris  
 Mosaicis continebantur. Collatio autem rerũ  
 signantium, & rerum signatarũ, vt vnum quod-  
 que signatum in suo signo ostendatur, id verò  
 fiet in tertio statu mundi sub aperta Prophetia  
 per spiritum Sanctum. Ergo quod signabatur  
 in serpente patefactum est per Christum, quod  
 signaretur ipse factus maledictum, vt omnes in  
 eum credentes non perirent; sed haberent vi-  
 tam æternam: non solum qui tempore Christi  
 fuerunt; sed qui iam ab Adamo liberationem à  
 peccatis consequuti sunt patefiet autem in aper-  
 ta Prophetia, quare in serpente illo æneo signa-  
 tus sit Christus. Sin verò Hebræus factum illud  
 de serpente pendente in ligno reuocet ad Israë-  
 litas tantum ictos tunc à serpentibus ignarus  
 diuini verbi faciet illud singulare, & tempora-  
 neum, quod ad omnes credentes omnium tem-  
 porum pertinet. est verò verbum Dei æternum;  
 atque illud verbum de serpente perseverat in  
 omnibus

omnibus credentibus. vt maledictio, & mors, quam contraximus per peccatum. factus est igitur maledictum pro nobis Christus, vt in ipso peccata nostra punirentur. Vnde de ipso ait Deus in Isaia. propter scelus populi mei percussi eum. item. si posuerit animam suam hostiam pro delicta, videbit semen longeuum. ipse iustus iustificabit seruos meos, & cum sceleratis deputatus est. Verum Hebræo videtur indignum, vt qui magna potentia, & diuina virtute restitutus sit regnum Israëliticum, in cruce fuerit confixus, tanquam qui omni virtute, & potestate fuerit destitutus. nec intelligunt propter quem facta sunt omnia, oportuisse pariter peccatorum fieri expiationem. non ita visum est Isaia, qui scripsit, Christum posuisse pro delicto animam suam. indeque futurum, vt voluntas Domini in ipsius manu prospera agat, & David. de torrète in via bibit, propterea exaltauit caput. Error autem est, quod duplex aduentus Domini non attenditur, qui descriptus est in Prophetis. in carne, & humilitate: in spiritu, & potestate magna. afferemus autem nos loca apertiora, ne is, qui profitetur fidem, & nõ credit, tergieretur in sententijs obscurioribus, atque in incerta sibi oblata interpretatione. Oseeas capite primo complectitur primum, & secundum aduentum Domini. de primo ait. natum filium vocatum Iezrael, semen Dei. cuius sanguinem vltus sit Deus in valle Iezrael. vbi mortuus sit Christus. & ibi cessauit regnum, & status Hebræorum. secundus aduentus signifi-

catur in fine capituli, vbi dicitur, magnus futu-  
 rus dies Iezraëlis, quando Iuda, & Itraël habe-  
 bunt caput vnum tantum. significatur & capite  
 tertio; atque quarto vsque ad finem libri des-  
 cribitur. Hinc debuit aduertisse Hebraeus ve-  
 ram prædicationem Petri de Messia capite ter-  
 tio Actuum. qui ait Christum debuisse pati, vt  
 Deus prædixit per os suorum Prophetarum. post  
 verò resurrectionem debuisse esse in caelis vsq;  
 ad tempora restitutionis omnium, quæ Deus lo-  
 cutus est per os omnium sanctorum suorum Pro-  
 phetarum ab initio. Vt iam locus Osee non est  
 obscurus, ita apertus est Daniel. qui ait c. 9. pri-  
 mum Christum moriturum, post diruendam  
 ciuitatem & templum: atque hæc nunquam re-  
 stituenda. post cessaturum sacrificium, futuram  
 que abominationem; tandem hanc amouendam;  
 adducendam iustitiam sempiternam, complen-  
 dam Prophetiam, & visionem in aduentu san-  
 cti sanctorum. Quod verò abominatio cognos-  
 cenda sit post mortem Christi maximè fuisse in  
 populo Dei, in Christianis, docet hæc Daniel: ne-  
 quis dicat hanc Prophetiam fuisse completam  
 tempore Antiochi. affirmatur à Daniele cap. 12.  
 & in Apocalypsi cap. item 12. duratura abomi-  
 natio 1260. seu 1290. annos. nec fuit cõplera tẽ-  
 pore Crassi Pompæi, & vastationis Hierusalem,  
 vt quidam Christiani voluerunt. quia post euer-  
 sam ciuitatem, & templum narrat Daniel cessasse  
 iuge sacrificium, atque positam fuisse abomina-  
 tionem duraturam vt dixi. 1260. seu 1290. an-  
 nos. Si iam hæc omnia facta sunt post mortem  
 Christi

Christi. & facta sunt in populo Dei: ergo Christus prius debuit mori antequam restitueret regnum Israel: ergo populus Dei erit populus Christianus, in quo hæc facta sunt, non iam Hebræus. Et in Osea hæc quoque sunt manifesta c. 3. ubi Dominus dicitur acquisivisse sibi mulierem quindecim argenteis, & mensura hordei: iubet ne sit viro alteri: ac se non ingressurum ad ipsam. quod peracturus sit longum iter: interea filios Israël permanuros multos dies sine rege, sine principe, sine sacrificio: tandem filios Israël quaesituros suum Dominum Deum suum, & regem David. Si non intelligitur advenisse prius Christus, antequam restituatur regnum, quomodo dicitur acquisivisse sibi Ecclesiam, iturus longam viam, antequam Israël quærat Dominum Deum suum? Ergo intelligitur prius venisse, & iterum rediturus postremis scilicet diebus, ut restituat regnum Davidicum, & Israeliticum. Et si instet Hebræus Christum non venisse, cum venerit, necesse erit, ut cum venerit, moriatur, resurgat, eat longam viam, evertantur Hierosolymæ, auferatur iuge sacrificium, & iterum redeat restitutus regnum Israeliticum. Verum cum sint Hierosolymæ eversæ, & cessarit regnum, ac status Israeliticus; atque hæc fieri debuerint post mortem Christi: ergo Christus noster mortuus est Christus promissus. ergo si occisus est Christus, & Hierosolymæ eversæ, atque cultus Dei fuit apud Christianos inque Ecclesia Christianorum posita abominatio ablato iuge sacrificio, quod in eodem



populo restituendū sit: non Hebræus; sed Christi-  
 stianus populus erit Dei populus: atque Chri-  
 stum venisse necesse erit, ac debuisse pati ante-  
 quam restitueret regnum Israëliticum. Hæc v-  
 berius in Mose significantur: sed quia loca aper-  
 ta proponimus, Mosem nunc omittamus: vi-  
 deamusque quæ pertinent ad Christum mor-  
 tuum pro peccatis, & ad primum eius aduen-  
 tum. Quod venire debuerit prius in humilitate,  
 & non cum strepitu armorum, docemur ca-  
 pite primo Osee. vbi dicitur. tunc miserebor  
 domui Iuda, & saluabo eos in Domino Deo  
 suo; non in arcu, ferro, bello, equis, & equita-  
 tu. capite 42. Isaiæ, ecce seruus meus, innitar ei,  
 electus meus, in quo sibi complacuit anima  
 mea: dedi spiritum meum super eum: iudicium  
 gentibus proferet. non clamabit, & quæ sequun-  
 tur. Hæc perpendantur, & inuenientur in Chri-  
 sto omnia: ipsum venisse in humilitate, consti-  
 tuisse Ecclesiam, vocasse in eam gentes, aperuis-  
 se oculos cæcorum, adduxisse credentes in suam  
 lucem. à versu autem nono vsque ad decimum  
 octauum exponitur secundus eius aduentus,  
 qui venit vt vir bellicosus. & à versu decimo-  
 octauo vsque ad finem capitis arguuntur vt cæ-  
 ci, qui non aduertunt opus Domini primi, &  
 secundi eius aduentus. Ergo si prius prædicauit  
 Euangelium gentibus; si venit in humilitate,  
 num fuit ita denunciatus? ac vt ab initio rem  
 ordiar. num natus est ex virgine, vt nuntiauit  
 Isaias? num fuit Emanuel? num apparuit fi-  
 lius Dei in doctrina, opere, & signis, & in di-  
 stributione

tributione Spiritus Sancti? num filius Dei vocatus est Psa. 2. vbi dicitur, Dominus dixit ad me, Filius meus est tu, ego hodie genui te? item osculamini filium? & Prouerb. 30. quod nomen filij eius? tu nosti? in Michea capite 5. & egressus eius ab initio, & à diebus seculi. Psalmo. 45. Propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cõsortibus tuis. If. 61. Spiritus Domini super me eo, quodd vnxit me. num natus in Bethlehẽm, vt dictum est cap. 5. Micheæ? num fuit puer in Ægypto, vt 11. Oseæ? num fuit missus Elias ante ipsum, qui fuit Ioannes Baptista, vt fuerat promissio in Isaia ca. 40. & in Malachia 3. & 4? num prædicauit Euangelium æternum? de quo dicitur in Isaia cap. 59. Spiritus meus, qui est super te; & verba mea, quæ posui in ore tuo non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui. dixit Dominus ex hoc tempore, & vsque in seculum. & vt cap. 9. promissum fuit prædicatio in terra Zabulon, & terra Neptalim via maris trans Iordanem Gallileæ gentium? num est Euangelium illud Isaia 52. Quàm speciosi sunt supra montes pedes Euangelizantis pacem, Euangelizantis bonum, prædicantis salutem? Cum doctrina num fuerunt miracula, quæ & Ioanni Baptistæ existerunt signa veri Messia ante denuntiata in Isaia cap. 42. cæci visum recipiunt, claudi ambulant, leprosi mundantur, mortui resurgunt, pauperes euangelizantur? Prætermittam dicere de parabolis, de Prophetia in Euangelio, & alijs rebus, quæ pertinent ad doctrinam & veritatẽ

corū, quæ in vmbrijs Mosaicis consignata sunt; ad passionem, & mortem, & resurrectionem, quam ante Apostolis nuntiauerat, veniam. in proditore iuda num perfectum est illud Ps. 41. Et homo pacis meæ, & qui edebat panem mecum, magnificauit contra me calcaneum? dum fuit captus num illud Zach. 13. percutite pastorem, & dispergentur oues? dum fuit iudicatus, & condemnatus, num illud Psalm. secundo, reges terræ & principes vnâ conuenerunt aduersus Dominum, & aduersus Christum eius? num illud Isaia quinquagesimo, corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, & faciem meam non abscondi ab ignominijs, & sputo? num illud Psalm. vigesimo secundo, foderunt manus meas, & pedes meos: diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem? num illud in manus tuas commendo spiritum meum? an num narrat is nomen Dei fratribus suis? in medio congregationis laudat Dominum? num, vt multa omittam, per hunc dicuntur gentes reuocari ad Dominum in regnum suum, vt dictum est capite quadragesimo secundo Isaia. dabo eum in fœdus populi, & in lucem gentium? Si sæpè prædicatur in Prophetis, Christus cum venerit vocaturus gentes in suum populum, & gentes venturas in populum Dei in aduentu Messia, an num necesse est, aut falsos fuisse Prophetas, aut necessarium Messiam venisse? hoc vnum argumentum debet cogere Hebræos fateri Christum fuisse Messiam, Ac ne omnia perquiramus caput vnum

vnum 53. Isaiæ proponamus. quem Hebræi  
 volunt Messiam tantummodo bellatorem, an-  
 num dicitur ibi de eo. non erat forma ei, ne-  
 que decor: fuit despectus, & eiectus: vir dolo-  
 rum, vulneratus, oppressus, & afflictus, sicut  
 agnus ad mactationem ductus, & velut ovis  
 coram tondeute non aperuit os suum: abscessus  
 tandem est de terra viventium: mortuus est vbi  
 de reis maiorum criminum sumitur supplicium  
 & inter præuaricatores annumeratus is, quem  
 vos Hebræi appellatis maledictum: & pro præ-  
 uaricatoribus orauit: à Iosepho diuite condi-  
 tus in sepulchro. Veniamus iam ad resurre-  
 ctionem. num fuit illa nuntiata Psalmo tertio  
 ibi. Ego dormiui, & euigilaui, quia Domi-  
 nus sustentat me? & Psalmo decimosexto.  
 Quoniam non relinques animam meam in in-  
 ferno, nec sanctum tuum dabis corruptioni?  
 Si non surrexit è mortuis, quomodo dixit Isaias  
 eodem cap. 53. generatione eius quis enarrabit?  
 quomodoque cum posuit animam suam, & se  
 sacrificium pro delicto, videbit semen longeuū,  
 & voluntas Domini in eo prosperabitur? quo-  
 modo habebit partem cum multis, & cum fortio-  
 ribus diuidet spolia, si postquam effudit in mor-  
 tem animam suam non surrexit? Si Christus non re-  
 surrexit, quomodo dicitur in Daniele. Christus  
 mortuus post hebdomadas 62. atq; post hebdo-  
 madas 7. & 62. dux venturus ad reducendum po-  
 pulum, & ad ædificandam Hierusalē? Si Christus  
 non surrexit, quomodo sanguis Iezrael in Osea  
 dicitur visitari super domum Ieu, atq; regnum  
 cessari

cessari domus Israel : deinde magnus futurus dies Iezrael, quando filij Iuda, & filij Israël assumunt sibi caput vnum ? Si dicatur in sanguine Iezrael alius intelligi quàm Christus, ergo aliquis futurus nuntiatur, qui fuerit mortuus, & post magnus futurus sit in terris. Verum hoc de nullo alio, quàm de Messia dici potest. Quòd iam debuerit mori propter peccata nostra, & resurgere è mortuis, vt ait Paulus, propter iustificationem nostram, docuit ante Isaias eodem c. 53. in quiens. verè langores nostros ipse tulit, & dolores nostros portauit : vulneratus est propter iniquitates nostras: disciplina pacis super eum, & liuore eius sanati sumus. versu octauo ait Deus. propter scelus populi mei percussi eum. & vndecimo. in scientia sua iustificabit iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Sequeretur iam, vt in Mose ostenderetur sacrificium Christi; atque expiatio peccatorum in eius sanguine: item ratio quare, & quomodo in animalibus, & oblationibus sit significatus: sed id demonstrandum erit, quando aperietur Prophetia: quando probabitur Christus assumere in se fideles à primo vsque ad postremum: in se reconciliari omnia per eius sanguinè & quæ in terris, & quæ in cælis sunt. restat verò nunc, vt ostendamus restitutionem & hoc tempore fieri, & per eum Christum, qui descendens è cælo ad nos secundò veniat iudicaturus mundum: atque restitutionem & iudicium fieri secundum illa, quæ narrant omnes Prophetæ, quæque videmus quotidie fieri.

Quòd

Quòd iam hoc tempore fiat restitutio, tria videntur facere, vt certò id credamus. primùm diuisio, & distinctio temporum tradita in prophetia: deinde denuntiatio Prophetarum: tum ipsa opera quæ fiunt ipsius restitutionis descripta in Prophetis. Tempora mundi distincta habent Hebræi in suis decem enumerationibus, quarum tres complectuntur tempus ab Adam vsque ad diluuium; quarta tempus promissionis: quinta legis: sexta Prophetarum: septima Christi, & Apostolorum: octaua status constituti Christianorum: nonò nouorum Prophetarum. quæ tria tempora Christianorum respondent tribus Hebræorum: tempora baptismatis temporibus circumcisionis, vt percursis his sex temporibus omnino ingrediendum sit in septimum ab Abraham, & decimum ab Adam dictum ab Hebræis Melchuth. quando Messias noster restituet regnum, & omnia quæ sunt regni Messia. Hæc temporis distributio est multis modis posita in Genesi, in Exodo, & in alijs libris Mosis; est in Prophetis: est in authoribus Apocriphis; est in Apocalypsi: vt suo tempore patebit, & constabit nos peruenisse ad nouissima tempora, de quibus vaticinatus est Iacobus capite quadragesimonono Genesim, & Prophetæ, & Apostoli. si Prophetia antiquorum patrum fuit obscura, satis aperta fuit nouorum Prophetarum, qui fuerunt ante quatuor eentum annos, & deinceps in Ecclesia vsque ad hoc tempus. qui quæ his temporibus fiunt, nuntiarunt instare, atque ipsa opera iam fiunt resti-

tutionis

tutionis regni descripta in antiquis Prophe-  
 tis. atque qui agit illa, est is, qui nuntiavit;  
 & qui nuntiavit in Prophetis, est is qui agit.  
 est is qui fecit longum iter Osee tertio. qui re-  
 diit in nouissimo dierum: de quo ait Isaias  
 capite secundo. Ecce in nouissimis diebus, e-  
 rit mons domus Domini preparatus in ver-  
 tice montium. Micheas primo. Ecce Dominus  
 egreditur è loco suo: descendet & calcabit su-  
 per excelsa terræ. Zacharias secundo. Sile omnis  
 caro à facie Domini, qui surrexit de habitaculo  
 sanctitatis suæ. is est iam Dei filius, Deus, &  
 Dominus noster. de quo dictum est Psalmo 8.  
 Quid est homo, quòd memor es eius, aut filius  
 hominis, quòd visitas eum. minuisti eum pau-  
 lulum ab Angelis: gloria, & honore corona-  
 sti eum, & constituisti eum super opera ma-  
 num tuarum. omnia subiecisti sub pedibus  
 eius. & Psalmo sexagesimo primo. habitabo in  
 tabernaculo tuo in secula: sperabo in abscon-  
 dito alatum tuarum. dies super dies regis adij-  
 cies, & erunt anni eius in generationem, & ge-  
 nerationem, habitabo in secula coram Deo.  
 Psalmo 89. vbi de Dauide dicitur. Inueni Da-  
 uid seruum meum vsque ad versum 31. illa de  
 Christo dicuntur, quæ nulli hominum tribui  
 possunt. cuius humilitas prius indicatur à versu  
 trigesimo quarto vsque ad quadragesimum. Et  
 cum hæc aduertuntur dici de Filio Dei, in quo  
 saluari sunt omnes omnium seculorum creden-  
 tes etiam aduertitur illud dici de Christo à Da-  
 uide. Dixit Dominus Domino meo, sede à  
 dextris

dextris meis. vt Filius Dei sit, qui sedet ad dexteram Patris: atque simul aduertet doctus Hebræus hunc filium Dei fuisse significatum in ipso Cocma ad dextram posito in figura illa decem enumerationum. aduertet quæ dicta sunt à Salomone in Prouerbijs: quæ dicta sunt in Ecclesiastico de Cocma, & Bina, omnia de filio, & de Spiritu Sancto esse intelligenda: atque in filio, & Spiritu Sancto esse perfecta, perfici, & perficienda omnia. qui quidem signati sunt in duobus Cherubinis positus super arcam fœderis: quod mittendi essent à Patre: per quos perficienda essent omnia futuris temporibus, & statibus mundi, vt per eosdem ante perfecerat Pater omnia. Hinc cognoscet studiosus verbi Dei Sanctum Israël, qui roties inculcatur in Prophetis, esse verbum Dei, eius filium, qui per Spiritum Sanctum locutus sit in Prophetis. in quibus dum vno in loco sepius inculcatur nomen יהוה in hoc nomine significari etiam Filium. Vnde ait Pater in Osea capite primo. Domus Iuda miserabor: & saluabo eos in. יהוהאלהיה hoc est in Christo, in Filio: qui item in fine tertij capitis dicitur Dominus Deus. ac vt intelligas Messiam יהוה Deum, additur & David Rex. Et in Michea. ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël: & egressus eius ab initio, à diebus seculi.

Hinc cognoscimus dum in Mose, & Prophetis sepius vno in loco, in vna sententia ter repetitur nomē יהוה indicari Patrem, & Filium,



& spiritum Sanctum locutum nobis: atque in vno nomine cognoscei vnum Deum. atq; cognoscemus in data lege, & verbo Dei; in operibus, operationibus, ac actionibus. Dei datam esse nobis magnam doctrinam de Deo. de quibus rebus omnibus, ac de earum rationibus non est nunc dicendi locus & tempus; quod hæc patefacienda sint in apertione Prophetiæ. Nunc hæc breuiter dicta sint de tempore restitutionis regni, & de Messia, vt intelligant Hebræi quomodo nunc suscipiendus sit Christus: sequitur autem vt illa ostendantur fieri, per quæ paretur regnum Israëliticum. sed antequam id fiat, videtur commodum, si simplicioribus satisfaciendo per certa capita repetemus superiora, & ordine perueniemus ad hæc postrema restitutionis regni.

Quando dedit Deus legem, promisit se miserum Messiam, qui loqueretur verba sua, & Prophetæ omnes nuntiarunt eius aduentum, & opera. Hinc concludere tu Hebrææ expositionem legis fuisse expectandam à Messia, & post Prophetas Messiam fuisse venturum. venit vero post Prophetas Messias; exposuit legem, egit quæ scripta sunt in Prophetis.

Si neges Christum Messiam, negas Deum facere verbum suum, & opus suum, & præstare misericordiam suam, & firmare regnum suum in Ecclesia, & populo suo in generationem, & generationem: quia aliàs hæc non extant: & ita facis Deum mendacem. Si autem est Deus in his verus, quæ promisit; ergo Christus fuit verus

rus Messia; sub quo verbum Dei, opus Dei, misericordia Dei, & eius regnum perseverat.

Daniel nuntiavit post 62. hebdomadas passurum Christum. quod tempus doctores cognoscunt 400. annorum ab illa Prophetia usque ad Christum. Si iam Hebræi id non cognoscunt, faciunt Daniele mendacem.

Vnde in Mose, & in Prophetis cognoscimus Deum per Messiam debuisse novum verbum facere. nullum autem extitit iam à bis mille annis præter id quod factum est per Christum, & sub Christo. ergo verbum Dei, fuit verbum Christi, & Apostolorum.

Quod autem fuerit verbum Dei, quod locutus est Christus, patet & ex regula, quam dedit Deus in Mose. ut qui loquitur verbum cum Prophetia, quæ vera habeat euenta, sit illud verbum Dei. in qua regula cognoscimus discrimen inter scriptores verbi Dei, & alios. quod illi omnes cum doctrina tradant Prophetica: completantur cum præsentibus præterita, & futura. Doctrina Christi & Apostolorum ita se habet: complectitur cum expositione legis Mosaicæ præsentia, præterita, & futura: ut iam in euentis patuit, & patebit. Ergo constat necessario doctrinam Christi, & Apostolorum esse verbum Dei.

Quod duplex fuerit nuntiatus advenetus Christi futurus prius in humilitate, post cum magna potestate. patet capite quadragesimo secundo Isaie, & nono Danielis: & primo, ac tertio Osee, ut ante ostendimus.

Si Elias mittendus fuit ante Messiam, missus fuit in utroque aduentu. Si nasci debuit ex virgine, & id factum est. If. 7.

Si debuit vocare gentes in populum Dei, & id factum est. If. 42.

Si debuit sanare ægrotudines, suscitare mortuos in vitam, & multa miracula edere, & se ipsum exsuscitare è mortuis; & hæc quoque facta sunt, vt ante ostendimus. Vnde quæ Isaias toto capite quinquagesimotertio narrat: item alibi ipse & alij Prophetæ de passione, morte, & resurrectione Christi, omnia euenerunt in Christo nostro. ac necesse erat, vt in Messia fierent. nec dicendum fuit, ipsum esse maledictum, quod pepèderit in ligno; quia in hoc benedictionem nobis peperit, vt docet Isaias capite illo 53.

Si hæc non recognoscunt Hebræi in Christo nostro, oportet vt expectent futura in suo Messia. at id tardè fiet, & nunquam fiet. quia non patitur Deus sine suo opere perseverare populum suum bis mille annos. sin nolunt in quouam fieri, ergo vanos constituunt Prophetas.

Verum vt non vani fuerunt Prophetæ, ita & Christus apparet verus in his, quæ de se nuntiavit futura, quæ de toto statu Christianorum, quæ de eius secundo aduentu. quæ manifesta futura sunt breui omnibus in toto mundo gentibus.

Vt iam ad secundum aduentum Domini veniamus, habuimus Eliam, qui ante Lutherum nuntiavit adesse Dominum, qui innouet iam iam statum populi Dei, vt ante per quadringentos

gentos annos extiterunt plurimi, qui eadem nuntiarunt.

Et dum nostro tempore quadraginta annos prædicatum est Euangelium, nec attenditur quid interea concionentur nobis Prophete; certe dum ortæ sunt perturbationes Gallicanæ, potuimus aduertere tunc signa fuisse data nobis de secundo aduentu Domini non solum in Euangelistis; sed & in Prophetis, de quibus quidem signis dictum est in libro superiori. quæ habentur capite vigesimo quarto Matthæi, & 13. Marci, & 17. ac 21. Lucæ. & in Epistola prima & secunda ad Theff. habentur & capite nono Danielis, & libro 4. Esd. capite 5. & 5. & 9. habentur & in Prophetis, qui fuerunt apud Christianos. Nec rectè poterunt negare hæc testimonia Hebræi, quia veritas in euentis firmam reddit eorum authoritatem. Cum ergo omnia signa visa sint data de secundo aduentu Domini, non potest à quoquam iam verè negari.

Nec Hebræus, nec quisquam alius rectè poterit obijcere minus Prophetas narrare Historiam nostrorum temporum, & quæ sunt in secundo aduentu Domini: quòd Prophetæ non propria nomina locorum, & personarum Christianorum, & certa tempora memorèt, de temporibus aiunt se scribere de postremis, de qua ratione dictum est ante: & in apertis libris illa magis patefiet. quantum verò ad personas, & loca attinet, debebunt Hebræi scire Christianos venisse in duodecim tribus filiorum Israel, ut moniti sumus à Mose cap. 22. Deut. vers. 7.


Cum autem habitæ sint denuntiationes de secundo aduentu Domini, & signa eius instantis, & opus restitutionis fiat apud eos, qui sunt Israel, & populus Dei; debuimus simul esse moniti ex Euangelistis, & ex capite 40. Isaia. & 3. siue 4. Malachia, oportuisse repeti primam prædicationem Euangelicam misso prius, vt dictum est Elia; deinde fieri alia, quæ pertinent ad rem bellicam. Et hinc animaduertere deinceps potuimus in vniuersa Prophetia idem duplex opus Domini describi in eius secundo aduentu, prædicationem inquam repetitam Euangelij, & opus bellicum: contentionem verbi, & armorum. in contentione verbi inuenientur disputationes Euangelicorum, & Papistarum; progressus Euangelij in varijs prouincijs; dira Papistarum inquisitio cum in alijs sacris authoribus significata, tum in Iobo expressa: bellicum opus videbitur ceptum in Gallia, vt describitur in Isaia capite 19. & 20. & 21. & 22. cædes Euangelicorum in eadem Gallia summam exponi capite tertio & 5. item Isaia. capite 24. & 44. Ieremia. capite nono Ezechielis, capite vndecimo Zacharia. capite 15. lib. 4. Esdra: vbi satis distinctè alia bella futura narrantur. vt etiam capite 46. Ieremia, & deinceps. In promissionibus Pharaonicis potuisti videre promissiones Papisticas de cultu Euangelij, & pace. atque ira videbis alia, quæ facta, & dicta sunt: quæ sunt nunc & reliqua, quæ fient deinceps narrata in Prophetia. quæque non persequimur memorare, & exponere: quia tempora

pora hæc nostra dabunt omnia exposita, & in superiori libro monuimus aliqua.

Illud dicam futurum, vt cum viderint homines omnia, quæ facta sunt nostris temporibus, sibi fuisse narrata in Prophetis: nec dum illa fierent, dumque ea eadem sæpe legerent, se animaduertisse legisse quæ viderent effici; & vidisse fieri, quæ legerent; exclamatueros singulos illud Prouerbiorum capite 30. stultissimes sum virorum, & prudentia hominum non est mecum: non didici sapientiam. non noui scientiam Sanctorum. dicit Hebraeus. Ecce peruentum est à Cether ad ipsum vsque Melchuth, nec ante, nec nunc aduertimus cursum temporum, & operum Dei. Hidelbergæ anno M. D. LXXIII.

FINIS.









00N 55559810

140714-140715-140716-140717-140718-140719-140720-140721-140722-140723-140724-140725-140726-140727-140728-140729-140730-140731-140732-140733-140734-140735-140736-140737-140738-140739-140740-140741-140742-140743-140744-140745-140746-140747-140748-140749-140750-140751-140752-140753-140754-140755-140756-140757-140758-140759-140760-140761-140762-140763-140764-140765-140766-140767-140768-140769-140770-140771-140772-140773-140774-140775-140776-140777-140778-140779-140780-140781-140782-140783-140784-140785-140786-140787-140788-140789-140790-140791-140792-140793-140794-140795-140796-140797-140798-140799-140800

libro 1<sup>o</sup> de civitate dei 15. ff. ult. in eod. **S**  
1. de civitate dei 15. ff. ult. in eod.





Legatione Sath. hactoz, SA

legitima / aut ipent' ab initio ai tutela est  
deferenda. (Aut ex post facto / ea iaz delata.  
Si ab initio / 7 ipromctu est ppetuu / ut qz  
est femia / ul' ppetuo furiosus / minus ul' furio.  
tuc non est locus datus / sed legitimo sequis  
ignous. ut. ff. d. leg. tu. l. i. §. i. tredu' abbi. 7 §.  
ut. i. libertinus. 7 §. si. et. l. agnato / i. si. Si at  
est ipiale ipromctu / ut qz minor / ul' captus  
ab hostibz / tuc non est locus legitimo sequis  
ignous / sed tm datus / ut. ff. e. l. i. §. si locus / 7  
in p. §. si libert'. Ceterz si ipent' ex post facto / ut  
qz remouet' / ul' reuocat' / locus est datus / et  
non legitimo sequis gno' / ut. ff. e. l. i. §. qui  
pot'. Si ho morit' ul' capite inimit' / locus e  
legitimo sequis gno' / et no datus. ff. e. l. i. §.  
non tm. et. l. q. testico' / cludat altera ricia /

**Q**ue aut tutela ex. 1 §. nunc dicens / 7  
Iat tutor ul' curator se dicat datus  
§. tutela uideat / excepte q' ali' est testa  
mentari' / ul' legitim' / qui precedit ei.  
ff. de tu. 7 tu. dis. si tutor. §. i. qz hnti tutores.  
tutor datus no pot. ut. 7. dicitur. / non potuit pu.  
vel a pretore ul' p'fice furioso. ff. d. tu. 7. tu. ab  
us. l. aus datus. 7. l. nec inuacate. / De hoc. 7. tu. p.  
§. q' erit talis pupill' / cui no aut datus. ff.  
e. l. i. 7. l. pupillo. 7. C. v. pupill'. eod. l. i. §. 7 qui

